DE ITALIAE INFERIORIS ANNALIBUS SAECULI DECIMI ET UNDECIMI...

Ferdinand Hirsch

DE ITALIAE INFERIORIS ANNALIBUS SAECULI DECIMI ET UNDECIMI

DISSERTATIONEM

HISTORICAM CRITICAM

SCRIPSIT

FERD. HIRSCH

DR. PHIL.

LIPSIAE

S. HIRZEL.

PATRI CARISSIMO

THEODORO HIRSCH

ET

PATRUO BENIGNISSIMO

LUDOVICO HIRSCH

HASCE

STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Quum ad Roberti Guiscardi Normannorum in Italia regni conditoris res explorandas me converterem, praeter majora Amati, Leonis Ostiensis, Petri diaconi, Gaufredi Malaterrae, Guilelmi Apuliensis, aliorum chronica haud negligendos mihi esse cognovi annales, quotquot in Italiae inferioris rebus saeculo X et XI gestis versantur. Illi enim, quamvis teneri sint rudique stilo exarati, eo valent, id quod historiarum autores saepe neglexerunt, primum ut quibus quaeque annis, nonnunquam etiam quibus mensibus vel diebus facta sint indicent, dein ut praeter graviores minoris momenti res, quae in urbe seu in monasterio, ubi scripti sunt, acciderint respiciant. Nequo vero me fugit antequam annalibus illis uterer diligenter mihi fidem eorum esse examinandam. Sicuti enim aliorum historiae fontium ita annalium duo sunt genera. Alterum eos continet, qui ab ipsarum rerum, quas narrant, aequalibus, alterum qui ab hominibus res ante memoriam suam gestas narrantibus scripti sint. Quum igitur priores illi per se sint summi faciendi, posterioribus tum demum fides habenda est, ubi ex fontibus puris ac liquidis haustos esse cognoveris. Atque in tractandis Italiae inferioris annalibus, quum plurimi, qui extant, ad posterius illud genus pertinerent, viri docti adhuc mira quadam negligentia usi sunt. Alii enim tanquam oculares rerum gestarum testes inconsiderate eos citaverunt, de examinandis eis ne cogitantes quidem, alii etiamsi conati sunt parum tamen in eo curae diligentiaeque adhibuerunt. Itaque consilium cepi, ut ad ampliorum studiorum fundamenta quasi jacienda hoc meo litterarum tirocinio

quae esset Italiae inferioris annalium X et XI saeculi vis atque dignitas inquirerem. Atque eam quidem ingrediendam mihi esse duxi viam, ut ab ipsis qui extant annalibus profectus, comparatis illis inter se, accersitis aliorum quoque autorum, quicunque annalibus ejus modi usi esse videntur, libris quid quibus ex fontibus hausissent investigarem. Quum igitur complures ac varii nobis tractandi sint annales, tamen duas eorum quasi familias discernere licet, quarum altera ex Bario, Apuliae capite, altera ex celeberrimo Montis Cassini monasterio originem ducat.

CAPUT I. DE BARENSIBUS ANNALIBUS.

Ex urbe Barensi tres, qui extant, annales oriundos viri docti censuerunt: 1) quos proprie dicunt *Annales Barenses*, primum a Nic. Aloysia, dein nostra memoria a Pertzio editos, 2) *Lupi Protospatae chronicon*, quod primus Caracciolus, dein Peregrinus, ultimus multo emendatius idem Pertzius una cum praedictis annalibus publici juris fecit[1]), 3) *Anonymum Barensem* a Peregrino solo editum[2]). Atque ut ab Annalibus Barensibus proficiscamur, quicunque obiter illos contemplatus fuerit persuasum sibi habiturum puto ex duabus diversis inter se partibus constare, quarum altera quidquid inde ab initio (a. 605) usque ad annum 1027 referunt, altera annorum 1035, 1040—1043 res contineat. Eas enim discernendas esse indicari videtur primum temporum describendorum rationis diversitate (qua de re infra fusius disseremus), dein totius earum speciei dissimilitudine. Quum enim prior pars non habeat nisi breviter atque abrupte de rebus multorum annorum spatiis inter se disjunctis relata, quidquid posterior continet uberius atque copiosius narratum est. Quod discrimen vir doctissimus Pertzius ita explicandum esse duxit ut diceret: „ultimam annalium partem circa annos 1040—1043 adjectam

[1]) Monumenta Germaniae historica. Scriptores V. p. 52 seqq.

[2]) Muratori. Rerum Italicarum scriptores I. p. 147 seqq.

fuisse.“ Sed specie et illum et alios deceptos, re parem esse utramque partem atque aequalem arbitror. Id quod ut probem altius repetere et annales nostros cum reliquis duobus annalibus Barensibus conferre oportet. Comparata igitur priore, quam putant, Annalium Barensium parte cum eis, quae de eodem tempore Lupus[3]) (860—1027) tradit, efficitur: 1) Lupi annales nostris multo esse uberiores, quum in his paucorum tantum, in illis plurimorum ejus spatii annorum res gestae litteris mandatae sint. 2) Plurimas res, quae in Annalibus memorentur, easdem Lupum tractare idque modo tam simili ut plerumque eisdem utatur verbis, ut:

Ann. Bar.	Lupus.
949. Hoc anno intraverunt Hungari in Italiam et venerunt usque ad Idrontum et fuit interitus. Et Platopodi obsedit Cupersanum.	947. Introierunt Ungari in Italiam et perrexerunt usque Idrontum. Platopodi obsedit civitatem Cupersani. Fuit eodem anno interitus boum per omnem terram.
1003. Hoc anno obsessa est civitas Bari a Saphi apostata atque caiti et perseveravit ipsa obsidio a mense Martio usque ad 10 Kalend. Octobr. Et liberata est per Petrum ducem Venetiarum bonae memoriae.	1002. Obsedit Sapi caytus Barum adstante Maio 2 die usque ad S. Lucam mense Octobris tuncque liberata est per Petrum ducem Venetiarum.

3) Nunquam autem utrosque plane inter se congruere, sed aut aliquam esse verborum discrepantiam, aut Lupum in rebus aliqua addere, modo minora (ut locis citatis: 947 boum per omnem terram; 1001 s. Lucam.) modo plura, ut:

Ann. Bar. 929. Hoc anno Tarentum captum est a gente Sarracenorum mense Augusti in solennitate S. Mariae.	Lup. 927. Fuit excidium Tarenti patratum et perempti sunt omnes viriliter pugnando, reliqui vero deportati sunt in Africam. Factum est in mense Augusti in festivitate S. Mariae.

[3]) Hoc nomen autoris, quamquam valde incertum esse infra demonstrabimus, tamen quo melius annales ejus a reliquis Barensibus discernantur, usurpabimus.

1*

1021. Hic fecit proelium Basilius Vulcano cum Francis et vicit illos in civitate Canni.

1019. Fecit proelium supradictus Bugianus in mense Octobris cum Francis et vicit. Et Mel fugit cum aliquantis Francis ad Enerichum imperatorem.

interdum etiam Annales Barenses aliqua afferre, quae Lupus non habeat (ut 1021: in civitate Canni.)

4) Annorum 605, 782, 981, 1013, quorum res gestas Ann. Barenses referant, a Lupo omnino non fieri mentionem.

Quae quidem ita esse explicanda quis putaverit, ut dicat Lupum Annalibus Barensibus usum esse, quae illi non habeant, aliunde sumpsisse. Haec est Pertzii sententia dicentis: „Lupum cyclis antiquis et annalibus supra laudatis (sc. Barensibus) usum esse.“ Neque autem res ita se habet, immo vero et Lupus et Annalium Barensium autor ex eodem fonte hauserunt. Ubi enim priorem hanc Ann. Bar. partem accuratius inspexeris nequaquam eos qua specie extant genuinos atque integros annales esse intelliges. Nam quam exhibent partium inter se dissimilitudinem, ut nunc inter singula quae referuntur viginti vel triginta annorum spatium intercedat, nunc servato ordine praecedentem annum insequens excipiat[4]), plane abhorret ab eorum annalium, qui continuo ab aequalibus scripti sint, aequabilitate. Itaque ex aliis annalibus vetustioribus excerptos eos esse conjeceris. Firmabitur haec sententia ratione habita eorum, quae de anno 1011 in annalibus nostris scripta sunt:

Ann. Bar. 1011. Hoc anno rebellavit Longobardia cum Mele ad ipsum Curcuam mense Majo 9 die intrante. Et fecerunt bellum in Betete, ubi multi Barenses ceciderunt. Et Ismael fecit bellum in monte Peluso cum ipsis Graecis *et cecidit illic Pasiano.*

Et a Lupo et a Guilelmo Apuliensi, quos ex eodem fonte hausisse infra demonstrabimus, hunc Patianum legatum fuisse

[4]) post anni 902 anni 925 res sequuntur, post 949: 979, sed post 925: 928, 929.

discimus Turnicii Graecorum ducis, qui contra Melum rebellem sociosque ejus Normannos pugnaturus in Apuliam missus est. Quod bellum anno 1017 accidisse certis testimoniis probatur. Nam ut taceam de Lupo et Anonymo Barensi, quorum quae sit et inter se et cum Annalibus Barensibus ratio hic agitur, reperimus in Annalibus Beneventanis:

1017. Mense Maio venerunt Normanni in Apulia et in mense Iunio fecerunt bellum cum Graecis.

et in Anonymo Cassinensi:

1017. Nortmanni Melo duce coeperunt expugnare Apuliam.

Quorum ex consensu concludendum est id, quod soli Ann. Bar. dicunt, 1011 Patianum obiisse, esse falsum.[5]) Quum vero minime verisimile sit ipsum autorem rebus illis aequalem adeo errasse, ita hoc explicandum videtur, ut qui postea vetustioris autoris librum exscripserit errore lapsus alii ab illo anno adscripta alii tribuerit.

Patet igitur antiquos quondam extitisse annales, unde et nostrorum Annalium Barensium autor et Lupus alter pauciora, plura alter hauserit. Jam, ut quod incepimus persequamur, tertium illum, quem Ignotum sive Anonymum Barensem viri docti appellavere, cum Annalibus Barensibus et cum Lupo conferamus. Atque ejus quoque primam partem, quae usque ad annum 1024 gesta continet, etiamsi minus sit Lupo copiosa, ita tamen ut multo plura habeat quam Annales

[5]) Quae Wilmans in dissertatione: „Ueber die Quellen der Gesta Roberti Wiscardi des Guillermus Apuliensis". (Pertz. Archiv X. p. 111.) affert, ut recte Annales Barenses dicere, anno 1011 Patianum cecidisse, jam eo anno Normannos in Apuliam irrupisse probet, irrita sunt. Quos enim testes citat, Cedrenus eo loco (II. p. 456. ed. Bonn.) non de hoc bello sed de priore Meli una cum Barensibus ceterisque Appulis facta rebellione agit, Romualdum Salernitanum, quamquam antiquiorem autorem sequatur, parum hic esse fide dignum infra ubi de eo disputabimus exponemus. Denique fugit virum doctum pugnam Cannensem seu Tranensem, quam posterioris illius belli finem fuisse apud omnes fere temporis ejus autores constat, ipsos Annales Barenses in eodem anno cum Lupo et Anonymo (1021 = 1019. cf. infra p.) collocare, unde efficitur eos quoque anno 1011 non de hoc bello, sed de priore Meli rebellione dicere.

Barenses, mirum in modum reperimus Lupo illi similem esse. Modo enim verba utriusque plane inter se congruunt, modo quae Anonymus dicit paullo sunt pressiora, ita tamen ut semper etiam verborum maximus sit concentus, ut:

Anonym. Bar.	Lup.
867. ind. 15. Incensa est Materia a Lodoyco Imp. Intravit in civitatem Orie idem Imp.	867. Incensa est Matera a Ludovico imperatore et idem Ludovicus imperator intravit civitatem Oriae.
987. ind. 15. Occisus est Sergius Prothospata a Barensibus et Adralistus an. ipso interfectus est a Nicolao Calabriti.	987. Occisus est Sergius prothospatarius a Barensibus mense Februario 15 die. Et in ipso anno mortuus est Andralistus a Nicolao Criti mense Augusti die 15 et obscuratus est sol.

Quibus commoti esse indiciis videntur et Peregrinus et Pertzius, ut Lupi annales fontem fuisse contendant, unde Anonymus hauserit. Alter enim librum ejus: „Lupi Protospatae chronicon ab anonymo autore Barensi qua auctum, qua decurtatum“ appellat, Pertzius: „Ignotum Barensem nostrum (sc. Lupum) ante oculos habuisse“ dicit. Neque vero animadverterunt totam ultimam Anonymi inde ab anno 1046 partem ita a Lupo distare, ut illic minime hoc usum eum esse clarissime appareat.

Atqui non est ejus, qui historiam scribit, nedum illis temporibus, alio libro usque ad certum tantum terminum uti, reliqua omnino negligere, nisi forte quasi discedant a via aut minore sint fide digna, quod utrumque hic de Lupo non habet locum. Ergo Anonymus primam hanc partem non ex ipso Lupo, sed ex eodem unde ille fonte hausisse putandus est, id est ex veteribus illis annalibus, unde etiam Annales Barenses effluxisse modo demonstravimus.

Jam comparatis tribus his annalibus quae sit et eorum et fontis, quo communi usi sunt, ratio examinemus. Ac primum quidem veteres illos annales Bario oriundos esse clarissime apparet. Quaecumque enim recentiores habent communia, id est quae inde sumpserunt, plurima ipsius urbis Ba-

rensis, reliqua aut vicinarum partium aut Graecorum, qui tunc in Apulia dominabantur, res spectant. Secundum efficitur quaecunque hac et Annalium Barensium et Anonymi parte contineantur, etiam quae neque inter se nec cum Lupo habeant communia, ex veteribus illis annalibus esse hausta. Plane enim ejusdem sunt generis cum eis, quae inde fluxisse constat. Quamquam ea de re, utrum quidquid Lupus habet inde sumpserit, an praeter eos aliis autoribus usus sit infra fusius est disputandum. Tertium denique apparet neque Annales Barenses neque Anonymum nec Lupum totos atque integros veteres illos annales reddere. Nam primum quidem totos annos alii alios praetereunt, idque vel is, qui multo reliquis est plenior atque copiosior, Lupus. Neque enim eis, quae Annales Barenses de annis 605, 782, 981, 1013, Anonymus de anno 952 referunt, quidquam apud illum respondet. Dein ne ea quidem, quae de eodem anno in veteribus annalibus scripta erant, nostri eadem omnia receperunt, sed alii alia. Id quod aliquot exemplis illustrandum est:

Ann. Bar.	Lup.	Anonym. Bar.
979. Hic inchoatum est monasterium Barense S. Benedicti a domino Iheronymo venerabili abbate.¡	978. Mortuus est Johannes episcopus et surrexit Pao archiepiscopus. ind. 6.	978. Inchoatum est Monasterium S. Benedicti in Bari a dom. Hieronymo Abb. et obiit Johannes episcopus et Pau electus est.

Manifestum est Anonymum hic plenissime quae in veteribus annalibus relata erant reddere, quum Annales et Lupus nil nisi partem eorum alter alteram exscripserint.

1003. Hoc anno obsessa est civitas Bari a Saphi apostata atque caiti et perseveravit ipsa obsidio a mense Maio usque ad 10 Kalend. Octobr. Et liberata est per Petrum ducem Venetiarum bonae memoriae.	1002. obsedit Sapi .caytus Barum adstante Magio 2 die usque ad S. Lucam mense Octobris tuncque liberata est per Petrum ducem Venetiarum.	1002. ind. 15. Hoc anno descendit Fasi apostata mense Magio et obsedit Bari usque ad S. Lucae Apostoli et liberata est per S. Maria et Petro dux Venetiarum.

Hic quoque suo singulos modo quae in exemplari scripta erant contraxisse apparet. Ac quaerat aliquis quae fuerit illa singulorum excerpendi ex annalibus, quos ante oculos habebant, ratio. Neque vero ego ea de re quum inquirerem ullum reperire potui, quem alius vel alius sibi proposuerit finem, immo vero temere atque ex libidine alia eos recepisse, alia omisisse puto.

Jam ea de re dicendum nobis est, utrum quaecunque Lupus plura habet quam Annales Barenses et Anonymus ex eisdem veteribus annalibus Barensibus hausta sint, an praeter eos aliis libris usus esse putandus sit. Id quod ut dijudicemus qualibus in rebus illic versetur explorandum est. Sunt earum genera quinque. Aut enim res Barii et in aliis Apuliae partibus gestae memorantur, aut quae ad Graecos, aut quae ad imperatores regesque Germaniae, aut quae ad duces Beneventi pertinent, aut denique visa coelestia aliaque prodigia. Ac primi quidem et secundi generis res ex Barensi illo fonte fluxisse non solum tota earum ratio ostendit, sed sunt etiam aliquot, quae non esse nisi temere a duobus aliis autoribus omissa certissime possit probari. Sic anno 1016 Lupus solus narrat: „occisus est ipse filius praefati Samuelis a suo consobrino“, sed anno praecedente et ille et Anonymus hunc Samuelem regem obiisse et post eum filium regnasse tradit. Anno 972 Lupus solus Attonem marchionem Saracenos vicisse refert, belli ab eodem anno 991 contra illos facti Anonymus quoque facit mentionem. Contra reliqua ex annalibus veteribus Barensibus Lupum hausisse negaverim. Neque enim qui alii autores illis usi sunt ullum edunt indicium quo in ejusmodi rebus versatos eos esse probetur. Ac de prodigiis quidem quum nil certi valeam affirmare suspicor ex cyclis antiquis nostrum exscripsisse. Alia autem, quae multo majoris sunt momenti, imperatorum Germaniae ducumque Beneventi res, unde sint hausta ipsum mihi videor fontem investigasse. Quum enim quae Lupus de rebus Beneventanis tradit cum Annalibus Beneventanis contulissem tam similiter

in eis eadem relata esse inveni, ut facere non possem, quin ipsos illos cum Lupo aliqua esse cognatione conjunctos mihi persuaderem.

Sed id quo accuratius cognoscamus paullum quasi a via digressi quae sit Annalium Beneventanorum ratio exponamus. Extant eorum libelli duo, alter a Nic. Aloysia, alter a Steph. Borgia primum, uterque nuper a Pertzio editus[6]), tertium, quem Pratillus publicaverat, suppositum ab eo esse idem Pertzius et Koeppke monstraverunt.[7]) Alter res in partibus Beneventanis gestas ab anno 788—1113, alter a 759—1111 refert, uterque satis breviter, sed prior (quem Ann. Benev. I dicamus) posteriore (Ann. Benev. II) brevius. Uterque easdem plerumque res modo ac verbis tam similibus tractat, ut nemo non sibi persuadeat, non fortuitam eam esse similitudinem, sed certa aliqua causa effectam. Neque ejusmodi ea putanda est, ut alter alterum ante oculos habuerit — nam modo hic modo ille plura habet — sed ut eundem uterque librum, annales veteres Beneventanos, idque inde ab initio fere usque ad finem exscripserit. Sicuti enim quae de primis annis tradunt simillima sunt:

Ann. Benev. I.	Ann. Benev. II.
788. mense Augusti 7 Kal. Septembris obiit Arichis princeps et dux Samnitum atque fundator S. Sofiae.	788. Obiit domnus Arichis, vixit annis 53, Grimoaldus ejus filius constituitur.
806. Obiit Grimoaldus princeps successor domni Arichis et electus est Grimoaldus thesaurarius princeps in Benevento.	805. Obitus Grimoaldi principis et Grimoaldus Falco thesaurarius constituitur an. 12. m. 2. regnante imperatore Leone.

ita etiam plurima alia quae usque ad annum 1112 referunt. Atque ultima annalium illorum veterum Beneventanorum parte (1105—1112) etiam tertium, qui extat, autorem, Falconem Beneventanum, usum esse comparatis inter se quae et ab illo

[6]) Monum. Germ. hist. Script. III. p. 173.

[7]) Pertz. Archiv IX. p. 1.

et in Annalibus Beneventanis scripta sunt, manifesto apparet, ut:

Ann. Benev. I.	Ann. Benev. II.	Falco Ben.
1105. Apparuit stella cometes decimo die intrante mense Februarii ab occidente.	1105. anno 7 domni Pascalis papae nives et inundationes fluminum magne. Stella obscura cum radiis apparuit a parte occidentis 10 die intrante menso Februario.	1105. 14 ind. mense Januario et Februario nix magna fuit et fluminum inundatio et stella cometes ad occasum apparuit, triduo enim post venit papa Beneventum.
1106. Obiit Henricus rex.	1106. Henricus rex obiit, praefatus papa in Galliam profectus est.	Sequenti anno obiit Henricus Teutonicorum rex.

Collatis inter se tribus illis libris efficitur:[8]).

1. veteres annales, quibus usi sint, usque ad annum solum 1112 pertinuisse. Nam de anno 1113 quae ab Annalibus Benev. I et II referuntur plane diversa sunt neque horum aut quae alia Ann. Benev. II posteris annis tradunt Falco ullam facit mentionem.

2. qua ratione Barenses veteres annales ab eis, qui inde hauserunt, tractatos esse monstraverimus, eadem hos a nostrorum Annalium Beneventanorum autoribus. Utrumque enim quum quod ante oculos habebat exemplar contrahere studuerit temere alia recepisse alia omisisse.

Duo restant quae de Annalibus Beneventanis nobis disserentibus praetermittere non licet, alterum utrum praeter antiquos illos annales Beneventanos, de quibus diximus, ex aliis fontibus hausti sint, alterum quam rationem in temporibus ordinandis sequantur. Ac prior quidem quaestio paucis est absolvenda. Nam Ann. Benev. I verisimile esse ex antiquis Barensibus annalibus pauca sumpsisse infra ostende-

[8]) Qui novissime his de rebus scripsit, Weinreichius (in dissertatione: „De conditione Italiae inferioris Gregorio VII pontifice". Regimonti 1864. p. 82.) quum non eum fugeret inter Falconem et Annales Beneventanos aliquam intercedere cognationem, tamen minus recte ipsos Ann. Benev. I. „connexui uberiorum narrationum ejus interpositos esse" contendit.

mus; codicis II autor episcoporum Beneventanorum vetus album descripsisse videtur, quum solus qui usque ad annum 957 ecclesiam illam rexerint enumeret. Aliorum fontium in neutro ullum repperi vestigium. De altera autem re, quae est gravissima eademque tractatu difficilis, copiosius est disputandum.

Quicunque in rebus Italiae inferioris medii aevi versati sunt noverunt tres illic in more fuisse temporum definiendorum rationes a vulgari nostra diversas, unam ut a Kalendis Martiis annus inciperetur (quem calculum Florentinum viri docti appellavere), alteram item a Kalendis Martiis neque vero anni vulgaris, sed eum praecedentis, quum non ab incarnatione sed a conceptione domini principium fierit computandi (calculum Pisanum), tertiam denique ab ejusdem praecedentis anni Kalendis Septembribus (calculum Graecum). Itaque eos, qui in rebus tunc in regionibus illis gestis cognoscendis operam collocant, ut recte suis quaeque temporibus tribuant, quem singuli autores calculum adhibuerint inquirere oportet. Atque annales nostros Beneventanos qui nuperrime de eis disputavit, Weinreichius[9]), Florentino calculo usos esse contendit, idque de codice II tam confidenter, ut ne argumenta quidem afferenda sibi esse existimare videretur, de codice I, quum locis aliquot Januarium seu Februarium anno proximo ascribendos esse probasset, aliis locis ad ipsum annum, cui essent tributi, menses illos pertinere concessit; quamquam quas protulisset rationes sententiam suam propositam probantes multo praevalere affirmavit. Sed vereor ne parum caute vir doctus disputaverit. Nam primum quidem quod ad Ann. Benevent. I attinet, etiamsi quae de annis 1073, 881 etc. attulit rectissima sunt, id tamen facile est ad intelligendum non modo ex duobus locis, quos ipse postea citavit, verum etiam ex innumerabilibus fere aliis, non eundem semper temporum ordinandorum morem secutos eos esse. Id

[9]) De conditione It. inf. p. 80.

quod ne eum quidem fugit, qui ante hos quinquaginta annos uberrime de rebus medii aevi tempore in Italia inferiore gestis scripsit, Alexandrum di Meo. Neque vero is continuo sermone ea de re disputavit, sed, sicuti ei mos est, variis locis, quum de singulis annis disserendo annales nostros in temporibus computandis a reliquis autoribus abhorrere notasset, id quomodo explicandum esset ostendere conatus est.[10]) Ac nos quidem viri illius clarissimi vestigia secuti accuratius ea de re disseramus.

Itaque quum totos annales nostros examinare longum sit, aliquot afferamus locos ea spectantes, quae quo anno evenerint aliunde certo constet et in singulis quem calculum annales adhibuisse putandi sint, ne repugnare veritati videantur, ostendamus.

Quae igitur Ann. Benev. I. referunt:	ea accidisse constat:	ergo adhibuisse putandi sunt:
788. Aug. Arichim principem obiisse.	787. Aug. (Meo. Annali III. p. 163.)[11])	calculum Pisanum (Mart. 787—M. 788).
806. Grimoaldum princip. obiisse.	806. Febr. (Meo. Annali III. p. 216.)	calc. Pisanum.
818. Siconem princ. esse electum.	817. Novembr. (Meo. Ann. III. p. 290.)	c. Pis.
832. Siconem obiisse, Sicardum esse electum.	832. Aug. aut Septbr. (Meo. III. p. 357.)	non Pisanum, sed aut Florent. aut vulgarem.
838. Octobr. Translationem S. Bartholomaei.	838. Oct. (Meo. IV. p. 21.)	non Pisan.

[10]) Sic („Annali del regno di Napoli") III. p. 135: Il cronista di S. Sofia notando la morte di Arigiso a 26 Agosto indiz 1ª nel anno 788 fa vedere che prende l'anno del Marzo antecedente. IV. p. 139: L'annalista Salernitano notandolo al seguente prende l'anno a modo Pisano e così quello di S. Sofia, in cui per altro sono più errori. VIII. p. 154: L'annalista di S. Sofia anno 1071 ind. 9. Si osservi qui chiaramente l'anno Fiorentino. etc.

[11]) Meo non citamus, nisi sententiam ejus certis diplomatum testimoniis probari nobis persuaserimus. Nam ubi chronicis nititur vir ille doctus, quippe qui genuina et supposita illa Pratilliana promiscua habeat, saepissime errat.

849. Radelchim obiisse.	851. c. Iulium. (Meo. IV. p. 132.)	nec Flor. nec Pis. nec Graec. nec vulg.
854. Radelgarium obiisse.	853. (Meo. IV. p. 139.)	c. Pisan.
	item alia ex parte.	
1017. Maio, Iunio.	1017. Maio, Iunio. (Lupus 1017.)	non Pisan.
1025.	1024. Iulio. (Boehmer. Reg. p. 64.)	c. Pisan.
1028.	1027. exeunte. (Meo. VII. p. 125.)	c. Pisan.
1038. Iunio.	1038. Iunio. (Boehmer. Reg. p. 71.)	non Pisan.
item alia ex parte:		
1073.	1074. Febr. (Meo. VIII. p. 127.)	c. Florentinum.
1075. Maio, Dec.	1076. Maio — Dec. (Weinreich. p. 89.)	nec Pis. nec Florent. nec Graecum. nec vulg.
1078.	1080. Junio (Watterich. pont. Rom. vitt. I. pag. 440.)	nec Pis. nec Florent. nec Graecum. nec vulg.
denique in fine:		
1100.	1100. (Watt. II, p. 18.)	non Pis.
1101.	1101. (Lupus. Anonym. Bar.)	non Pis.
1106.	1106. Aug. (Boehmer. reg. p. 105.)	non Pis.
1110.	1111. Febr.—April.	Florent. (?)

Ergo ne falsa annales nostri scribere videantur multis locis Pisanam rationem secutos eos esse conjiciendum est, aliis locis certe, aliis verisimiliter Florentinam. Atque aliquot locis etiam Graeca usi esse videntur. Quam enim exhibent mensium seriem:

892. Intravit Sybbaticius stratigo cum Graecis in Benevento mense *Octobris* et in Sipontum de mense *Iunii.*

1077. 15 Kalend. *Decembris* obiit Landulfus princeps et quarto decimo Kalendas *Ianuarii* venit super Beneventum Robertus dux et sedit ibi usque in 6 Idus *Aprilis.*

non aliter explicari potest, nisi ut a Kalendis Septembr.

praecedentis anni suum annum incepisse putentur. Aliis denique locis plane a veritate eos abhorrere manifestum est.

Ac nunc quidem invenisse haec valde mira satis habeamus et, antequam quomodo sint explicanda quidque inde efficiatur inquiramus, codex II qua temporum ordinandorum ratione usus sit ostendamus. Ut igitur hujus quoque aliquot afferamus locos, quibus quae referuntur quo anno evenerint aliunde liquet:

quae Ann. Ben. II. narrant:	ea acciderunt:	ergo adhibuisse putandi sunt:
788 Aug.	787. Aug.	calculum Pisanum.
805.	806. Febr.	calc. Florentinum.
818.	817. Nov.	c. Pis.
838. April. Oct.	838.	non Pis.
854.	853.	c. Pis.
item:		
1100.	1101. Juni.	nec Pis. nec Florent. nec Graecum. nec vulgarem.
1106.	1106. Aug.	*non Pis.*
1110.	1111. Febr.	c. Florent.
1117. Febr.	1118.	c. Florent.

ergo et ipse codex II sicuti I ex libidine modo Pisanam, modo Florentinam rationem sequi, interdum plane veritati repugnare videtur. Neque vero utrorumque annalium autores de temporibus ordinandis semper consentiunt, immo vero sunt loci, quibus eaedem res ab altero alteri anno ascribantur, idque eum in modum, ut certum uterque diversum inter se calculum adhibuisse videatur, ut:

Ann. Benev. I.:	Ann. Benev. II.:
892. Intravit Sybbaticius stratigo cum Graecis in Benevento mense Octobris et in Sipontum do mense Junii.	892. Simbaticius stratico Leonis et Alexii imperatorum ingressus est Beneventum mense Octobri. 893. Et in Sipontum mense Junio.
1100. synodum Melfiae celebratam, 1101 Rogerii mortem narrant.	1100. Idem papa in Melfi sinodum fecit. Clemens papa obiit. Rogerius comes Siciliae mortuus est.

Atque ea de re quum accuratius inquirerem, repperi res mensibus Januario — Maio, Augusto, Octobri, Novembri gestas quum uterque eidem semper anno ascriberet, de solis mensibus Junio, Septembri, Decembri eos inter se dissentire. Quae enim tradunt

Ann. Benev. I.:	eadem Ann. Benev. II.:
892. Junio.	893. Junio.
998. [Junio].	997.
964. [c. Sept.]	963.
1034. Sept.	1035. Sept.
875.	876. Dec.
968. Dec.	969.

Inde autem manifestum est ipsis his locis certam minime adhibitam esse rationem. Quae enim illa sit, qua Majum quis alteri, alteri Junium, idemque alteri Novembrem, Decembrem alteri anno assignet.

Ex eis quae disputavimus efficitur opinionem, unde etiam nos profecti sumus, Annales Beneventanos recte quo tempore quaeque gesta sint referre, esse falsam. Nam primum quidem repperimus, ut cum eis, quae aliunde nota sunt, consentire viderentur putandos eos esse aliam alias temporum computandorum rationem promiscue nulloque habito ordine adhibuisse, id quod per se parum habet verisimilitudinis. Porro intelleximus nonnullis locis quod eis, quae recta esse constat, repugnarent ne ita quidem posse explicari, sed plane falsa narrare esse existimandos. Denique quibus ipsis locis viderentur certum quendam calculum adhibuisse, illis ex libidine tempora eos ordinasse ostendimus. Ergo id quod adhuc viri docti studuerunt, ut quibus locis Annales Beneventani a reliquis testibus dissentire viderentur diversam tantum adhibitam esse temporum ordinandorum rationem ostenderent, irritum esse et omnino annales nostros in definiendis annis parum habere fidei apparet.

Quae quum ita sint quomodo sint explicanda inquirere restat. Ac quia ex eis, quae supra diximus, liquet utrosque

Annales Beneventanos fere quaecunque habent ex uno eodemque fonte hausisse, aut jam veteres illi annales Beneventani, quos extitisse conjecimus, minus accurate annos definiisse putandi sunt, aut nostri nimis negligenter eis esse usi. Atque ego quidem, ubi primum mecum illud reputare coepi, persuasum mihi habui priorem illam sententiam propius accedere veritati. Cujus rei maximum mihi videbatur esse indicium, quod Lupus, quem et ipsum ex fonte illo Beneventano hausisse demonstrabimus, quum alias satis accurate libris, quos exscripsit, usus esset, ipsis illis locis, quos autori Beneventano debet, mirum in modum quasi vacillaret, ut modo recte suis quaeque temporibus ascriberet, modo in definiendis annis valde erraret.

Quae enim refert anno:	ea accidisse constat:
866.	866. Dec. (Boehmer. reg. Carol. p. 65.)
868.	871. Aug. (Boehmer. reg. Carol. p. 66.)
884. Oct.	884. Oct. (Meo. VII., p. 5.)
890.	890. (Meo. VII., p. 40.)
942. April.	943. (Meo. VII., p. 281.)
982.	983. Dec. (Boehmer. reg. reg. p. 53.)

Ergo facere non potui quin conjicerem veteres illos, quos annales appellaveram Beneventanos, chronicon potius existimandos esse, id est, quamvis servato temporum ordine illud res gestas exposuisset, non certis quaeque annis ascripsisse, unde factum esset, ut qui postea eo usi singulis singula annis subjicere studerent, saepissime errarent. Atque ejusmodi quidem chronicorum ut afferrem exemplum quum Chronica S. Benedicti adiissem, non solum quod volui exemplum, sed argumentum inveni firmissimum, quod idem, quidquid de Annalibus Beneventanis inquirendo posuimus, nova quasi subjicit fundamenta.

Est enim in *Chronicis S. Benedicti*, quo nomine usus Pertzius complura edidit[12]) principum Italiae praecipue inferioris alba, *Catalogus principum Beneventi*, in tribus codici-

[12]) Monum. Germ. hist. Ss. III. p. 197.

bus, Cassinensi, Cavensi, Vaticano usque ad annum 902 productus, in quarto S. Sofiae Beneventano usque ad undecimi saeculi finem continuatus. Quem si cum annalibus nostris contuleris mirum in modum eos inter se consentire invenies. Sed ea de re ut accuratius disseramus primum quae ipsius catalogi sit ratio inquirendum est. Atque hic quidem plurimum refert cognosci, utrum codex Cassinensis, qui est vetustissimus saeculi X ineuntis, ipse sit fons unde reliqui codices recentiores effluxerint, an alia inter eos intercedat ratio. Quam diximus priorem sententiam Pertzius tueri videtur. Quamquam enim in prooemio suo ea de re obscurius disputavit [13]), tamen tota ejus edendi ratio, ut quae codex Cassinensis exhibet, ea tantum in textum recipiat, neque excepto fine, ubi et ipse majorem dissimilitudinem miratus esse videtur, nisi infra in margine quae diversa alii habent notet, a librariis illa aut corrupta aut addita esse eum existimare ostendit. Sed ego minus rectam eam esse sententiam credo, id quod ut probem exempli gratia locum aliquem catalogi, qualem singuli quatuor codices exhibent, afferam:

cod. I. (Cas.)	cod. II. (Cav.)	cod. 4. [14]) (S. Sofiae.)
Gisulfus major, frater istius Grimoaldi sedit annis 17.	**Gisolfus major frater istius Grimoaldi sedit annis 17. Iste devastavit Romam et Sora et Yrpinum et cepit Arci.**	**Gisolfus, filius Romualdi, sedit annis 17 et dies 10.**
Romualdus filius istius Gisulfi sedit annis 26.	**Romualdus filius istius Gisolfi sedit annis 26.**	**Romualdus filius ejus sedit annis 26.**

[13]) Mon. Germ. hist. SS. III. p. 197. „Ipsa S. Benedicti chronica catalogis, ut videtur, circa annum 831 conscriptis innixa in Monte Cassino circa annum 872 composita et ad annos 913 et 926, immo 993 producta sunt, continuationibus demum (?) a monachis Cavensibus, Beneventanis et Salernitanis usque ad undecimi seculi exitum adjectis“.

[14]) Codicis 3 (Vaticani) lectio, quam propter nimias loci angustias non exscripsimus, codici 4 simillima est. Nam hic quoque nomina et anni tantum principum narrantur, hic quoque inter Romualdum et Gregorium *Audelaius* nominatur, neque autem *Liudprandi* fit mentio.

Gisulfus puerulus filius istius Romualdi dux factus depositus est Papiam a Lioprando rege.	Gisolfus puerulus filius istius R. dux factus deportatus est Papiam a Lioprando regem.	*Adelays* sedit annis 2.
Gregorius nepos Lioprandi sedit annis 3.	Gregorius nepos Lioprandi regis sedit annis septe.	Gregorius sedit annis 7.
Godescalcus annis 3.	Godescalcus annis tres, fugiens adventu Liuprandi regis occisus est Benevento, dux ibi exstitit Arechis annis 29.	Godescalcus sedit annis 4.
Gisulfus supradictus puerulus revocatus in Beneventum dux ibi exstitit. Arichis sedit annis 29.		Gisolfus filius Romualdi sed. ann. 17 et dies 10.
		Liudprandus, filius ejus, nepos Liudprandi regis, sedit ann. 8 et mens 3. Arichis dux.

Quae intercedit inter illos diversitas, ut ne principum quidem series singulis illis eadem sit, sed inveniantur, quos alii nominent, alii omittant, reliquorum codicum autores ipsum Cassinensem non ante oculos habuisse ostendit. Ergo quum in universum simillimos eos esse inter se constet, nil aliud restat, nisi ut et illius et aliorum autores ex uno eodemque fonte hausisse arbitremur atque ita quidem, ut nonnunquam quae alius receperit alius omiserit. Atque accuratius quatuor illis codicibus examinatis veterem, quem exscripserunt, librum patet:

1) ineunte decimo saeculo compositum esse. Nam codex Cassinensis, qui res usque ad annum 902 narratas continet, ipse saeculi illius initio scriptus est.

2) Non solum principum enumerasse nomina et annos, sed alia quoque in partibus Beneventanis gesta illis adjecisse eaque plura, quam in nostris codicibus extent.

3) Non annalium more quo quaeque anno gesta sint sed tantum quot annos singuli principes regnaverint memorasse.

Ergo *Chronicon Beneventanum* fuisse, Beneventi compositum, conjiciendum est.

Prioris igitur catalogi nostri partis, quam omnes quatuor codices continent, quae esset ratio cognovimus. Ac codex S. Sofiae usque ad annum 1085 est continuatus. Jam si totum eum cum Annalibus Beneventanis nostris conferimus invenimus, id quod jam supra significavimus, quaecunque in eo sint scripta fere omnia verbis simillimis annales illos habere, atque ita quidem, ut modo cum altero, modo cum altero eorum exemplari propior intercedat cognatio, id quod paucis prolatis locis erit manifestum:

Catalog. princ. Benev.:	Ann. Benev.:
Sico sedit annis 16 (cod. s. Sof. 15.) mensibus 2.	II. 818. Obiit Grimoaldus princeps et constituitur Sico a. 15. m. 2.
Sicardus filius ejus sedit annis 6, mensibus 10.	831. Obiit Sico et Sicardus filius ejus constituitur, a. 6. m. 10.
Simbatcus stratigo cum valida Graecorum manu venit Beneventum 3 Idus Julii et tenuerunt eam annos 13 et menses 9 et dies 20.	I. 892. Intravit Sybbaticius stratigo cum Graecis in Benevento mense Octobris et in Sipontum de mense Julio.
Post haec Guido marchense introivit in Beneventum sedit annis 1, mensibus 7.	895. Expulsi sunt Graeci de Benevento per Guidonem marchionem.
Radelchis junior iterum sedit annis 2, mensibus 6.	898. Radelgis princeps junior recuperatus in principem.
Quo [Landolfo] moriente mense Novembri 5 Kalend. Decembris statim Robertus dux obsedit Beneventum 14 Kalend. Januarii usque 6 Idus Aprilis, unde expulsus est cum omnibus suis. indict. 1.	I. 1077. 15 Kalend. Decembris obiit Landolfus princeps et 14 Kalend. Januarii venit super Beneventum Robertus dux et sedit ibi usque in 6 Idus Aprilis.

Cujus similitudinis eam putandam esse causam, ut et qui catalogum scripsit et utrorumque annalium autores ex eodem fonte hauserint patet. Atqui catalogi prioris partis fontem esse cognovimus chronicon vetustum Beneventanum, ergo ex eodem etiam quae Annales Beneventani usque ad annum 902 referunt effluxisse putanda sunt. Dein quia posterior et ca-

talogi et annalium pars ejusdem generis est cum priore, fieri non potest, quin ex simili sit hausta fonte, ergo et ipsa ex chronico Beneventano, quo vetus illud esse continuatum vero simillimum est.

Quod igitur Annalibus Beneventanis solis inter se comparatis vix suspicati sumus, ex chronico esse excerptos, ubi non aliter descripta fuissent tempora, nisi ut quot annos singuli principes regnassent enumeraretur, id jam catalogo in auxilium vocato planum est atque manifestum. Sed etiam aliud accedit gravius. Fieri enim non potest, si quis in temporibus definiendis Annales Beneventanos fide fere nulla dignos cognoverit, quin omnino etiam in rebus, quas referant, parum eis fidei habendum esse existimet. Quam suspicionem irritam esse catalogo adhibito patet. Nam primum ejus auxilio qua singulari causa quod tam negligenter illi tempora ordinassent effectum esset, deinde ipsum cognovimus, quod exscripsissent chronicon, summi esse faciendum, quippe quod ex antiquis pluribus chronicis coaluisset.

Jam ad id, unde digressi sumus, revertamur et quae inter Lupum et Annales Beneventanos iutercedat ratio examinemus. Ac primum quidem id quod contendimus, ubi Lupus de rebus aut Beneventanorum aut imperatorum Germaniae agat summa quasi necessitudine utrosque Annales Beneventanos eum contingere, aliquot ejusmodi locis eorum inter se comparatis probemus. Narrant igitur:

Lupus.	Ann. Benev. I.:	Ann. Benev. II.:
866. Intravit Ludovicus imperator Beneventum.	866. Venit Lodoycus rex et pugnatum cum Sotane rege Ismaelitarum et vicit eum.	866. Lodoycus rex venit Beneventum et in Apuliam pugnans compraehendit Sotan.
868. Exierunt Agareni a Baro civitate per Francos tertio die intrante mense Februarii eodemque anno compraehensus est praedictus Lodovicus in Benevento.	871. Comprehensus est a Beneventanis Ludovicus rex.	871. Beneventani comprehenderunt regem Lodoycum.

Itemque inter se conveniunt, quae referuntur

884.	885.	885.
890.	891.	891.
936.		937.
939.	938.	
942.	943.	943.
969.	968.	968. 969.
982.	983.	983.
1014.		1014.
1022.		1022.
1024.	1025.	1025.

Quibus locis inter se collatis nemo non sibi persuadebit Lupum videri ex eodem, unde Annales Beneventani, fonte hausisse, id est, ex chronico Beneventano. Et quia Lupum reperimus usque ad annum solum 1024 quae illis cognata sint referre, chronici illius exemplari ejusmodi usus esse videtur, quod non ultra istum circiter annum pertinuerit. Id quod quum per se sit manifestum, est tamen, quod repugnare ei videatur. Neque enim eis solum locis, quibus Beneventanorum aut imperatorum Germaniae res tractentur, Lupus cognatione Annales Beneventanos attingit, sed aliis quoque in Apulia res gestas continentibus, quibus et ipsa, quae ab Annalibus Barensibus et ab Anonymo Barensi referuntur, simillima sunt, ut:

Ann. Benev. I.	Lupus:	Ann. Barenses:	Anonym. Bar.
926. Michael rex Sclavorum comprehendit Sipontum.	926. comprehendit Michael Sclabus Sipontum mense Juli.	928. Hoc anno compraehendit Michael rex Sclavorum civitatem Sipontum mense Julio die S. Felicitatis secunda feria.	926. ind. 14. Compraehendit Michayl Clavos Sipontus.

Ex eis, quae adhuc disseruimus, patet Lupum quae hi refert et quo ex fonte Annales et Anonymus Barensis et unde Annales Beneventani, id est et ex veteribus annalibus Barensibus et ex chronico Beneventano eadem hausisse esse putandum, id quod aliter fieri non potest, nisi ipsi illi fontes

quodammodo inter se confluxerint, id est nisi aut annales Barenses chronico Beneventano aut his illud, aut utraque communi fonte usa sint. Sed haec tria, quae posuimus, singula parum habent verisimilitudinis, quippe quibus repugnet, quidquid de natura et chronici et annalium illorum cognovimus. Quia enim et hoc et illi non uno tenore sed paullatim ab hominibus ipsis temporibus, de quibus scribebant, aequalibus Barii altero, altero Beneventi degentibus, conscripta sunt, commercium quasi inter ea intercessisse non credendum est. Quum igitur ad dissolvendam hanc difficultatem aliam investigarem viam, lucem quasi in ipsis noctis tenebris mihi conspicere visus sum, quum animadverterem solos Ann.[1] Beneventanos I. res Apuliae referre, quae a Barensibus autoribus scriptis similes sint. Quamquam hoc per se non tam planum est, ut argumento egere posse videatur. Quum enim aliis locis recte nos dixisse pateat, quippe quibus rerum a codice I nostro, a Lupo et aliis Barensibus scriptarum in codice II nulla omnio fiat mentio:

Ann. Benev. I.:	Lupus:	Ann. Bar.:	Anonym. Bar.:
871.	860.		860.
926.	926.	928.	926.
960.	960.		960.

sunt tamen alii, quibus etiam ille Barenses affinitate attingere videatur. Quos quidem singulos opus est examinari:

Ann. Benev. II.:	Ann. Benev. I.:	Ann. Bar.:
947. Ungari Italiam intraverunt 6 anno domni Landolfi.	947. Intraverunt tertio Hungari in Italiam.	949. Hoc anno intraverunt Hungari in Italiam et venerunt usque Idrontum et fuit interitus etc. Lupus. 947. Anonym. Bar. 947.

Quo loco quam quis miretur annalium nostrorum cum Barensibus similitudinem non esse nisi fortuitam existimo. Ac primum quidem eo, quod eandem rem narrent, ipsos esse cognatos non probatur. Quum enim Ungari totam Italiam percurrissent invasio eorum duobus autoribus, inter quos

nulla intererat ratio, Beneventi alteri, alteri Barii degentibus, digna quae referretur poterat videri. Accedit quod, quae Barenses ipsam suam provinciam respicientes tradunt, ea Beneventani non habent. At eisdem fere utuntur verbis. Etiam illud fortuitum esse liquebit, si quis alios annalium nostrorum Beneventanorum locos adierit, alias Ungarorum invasiones spectantes, quarum in Barensibus nulla fiat mentio:

899. Ungari Italiam *intraverunt.*
922. Ungari Italiam *intraverunt* jam secundo.
937. Ungari jam tertio Italiam *intraverunt.*

unde patet verbi „intrandi“ annalibus nostris frequentem esse ac fere proprium usum.

Jam alium locum examinemus.

Ann. Benev. II. 875. Intraverunt Graeci in Bari missi a Leone et Alexio imperatoribus mense Decembri.	Anonym. Bar. 875. ind. 8. Intravit in Bari Bajulo stratigo.
Ann. Benev. I. 875. Graeci ingressi sunt Varum.	Lupus 875. Intravèrunt Graeci in Baro mense Decembri die natalis domini feria 3. Gregorius stratico qui et Bajulus dicebatur.

Quod hoc loco rem Barensem Beneventanus noster referat ita explicandum est: Quia et Barium et tota Apulia usque ad id tempus principum Beneventanorum fuerat imperio subjugata, amissam esse eam urbem plurimum etiam Beneventani autoris intererat. Dein singula quae habet uterque, Barense, quo mense res gesta sit, Beneventano, qui fuerit Graecorum dux, narrante, non inter eos conveniunt, sed a Lupo demum conjuncta sunt.

Similia reputando etiam in eis quae Ann. Benev. II annis 891, 915, 982, Barenses autores 891, 916, 981 tradunt, non esse nisi fortuitam similitudinem reperies. Sed unus restat locus, qui non tam facile videatur posse absolvi:

Ann. Benev. II. 963. Obiit Romano imperator. Otto rex Francorum venit Romam.	Anonym. Bar. 963. ind. 6. Obiit Romano imp. et regn. Nikyforo ann. 7.

Ann. Benev. I. 964. Obiit Romano imperator filius Constantini. Otto senior rex Romam venit.	Lupus 963. Obiit Romano imperator et elevatus est Nichiphorus, qui regnavit annis 7 et Otto rex intravit Romam et obscuratus est sol.

Lupum hic quoque et quae Beneventanus et quae Barensis referebat consarcinasse nemo non intelligit. At qui fit ut Beneventani nostri annales Graecorum imperatoris mortui faciant mentionem, idque eodem modo quo Anonym. Barensis? Ignorare me confiteor. Sed ne quis credat quidquid adhuc ea de re, non esse Annalibus Benev. II cum Barensibus commercium, exposuimus unico hoc loco confutari, alium eorum affero locum, ubi praeter principum Beneventi etiam Graecorum imperatorum annos numerent:

> 958. Electus Landolfus episcopus in Benevento, sedit an. 28 *anno 45 imperii Constantini et 13 anno Romani* et 28 anno Landolfi principis et 13 Pandolfi filii ejus.

quem non esse e Barensibus nostris fontibus haustum, quippe qui nullam omnino ejus rei faciant mentionem, constat. Ergo ne illa quidem de auno 963 scripta inde originem ducere existimanda sunt.

Negamus igitur Annalibus Benev. II cum annalibus Barensibus quidquam esse commune. Jamque quidquid erat negotii est expeditum. Si enim solus codex I similia illis habet, nulla est causa, cur jam inter vetus chronicon Beneventanum et veteres annales Barenses aliquam intercessisse necessitudinem putemus, immo vero is solus, qui codicem illum I conscripsit praeter chronicon Beneventanum etiam ex Barensibus annalibus aliqua hausisse putandus est.

Demonstravimus igitur Annalium Barensium, Lupi, Anonymi Barensis partem primam ex annalibus veteribus Barensibus haustam esse quibus eisdem Annalium Beneventanorum I scriptor usus esset, Lupum praeterea vetus chronicon Beneventanum exscripsisse, quod idem Annalium Beneventanorum utrorumque fons fuisset. Antequam autem hanc priorem annalium nostrorum Barensium relinquamus partem, inqui-

rendum nobis est de re, quae plurimum adhuc facessivit viris doctis negotii, scilicet quod in temporibus ordinandis Annales Barenses plane et a Lupo et ab Anonymo Barensi discrepare videantur. Quaecumque enim referunt aliis quam illi ascribunt annis, atque ita quidem, ut modo unius, modo duorum annorum inter eos intercedat discrimen.

Ann. Bar.:		Lupus. Anonym. Bar.:
902.	=	901.
Juli 925.	=	Juli 924.
15 Ind. Juli 928.	=	14 Ind. Juli 926.
Aug. 929.	=	Aug. 927.
949.	=	947.
Sept.—Decemb. 996.	=	994.
Mai—Sept. 1003.	=	Mai—Octob. 1002.
Mai 1011.	=	Mai 1009.
1021.	=	Oct. 1019.
1027.	=	April 1025.

Qua de re duo nobis examinanda sunt, alterum uter recte annos ordinaverit, alterum quomodo sit explicandum, quod inter se dissentiant. Ac de priore quidem explorando, quamquam qui primus annales nostros edidit, Aloysia, plane desperavit, procul esse dubio arbitror, quin Lupus et Anonymus recte dicant. Nam primum, quia ipsi inter se consentiunt, veteres annales Barenses eundem in modum definiisse annos concludendum est. Secundum quibus locis aliunde scimus, quibus quaeque annis facta sint, Annales Barenses falso dixisse apparet, ut:

782. Hoc anno Carolus rex celebravit sanctum pascha in Roma et baptizatus est Pipinus, filius ejus, ab Adriano papa.

At constat anno 781 ea evenisse. (Boehmer. reg. Car. p. 13.).

1021. Hic fecit proelium Basilius Vulcano cum Francis et vicit illos in civitate Canni.

Constat aliunde [15]) pugna Cannensi Melum esse a Graecorum duce Basilio victum; quum autem compertum habea-

[15]) Leo. Ostiens. II. 37.

mus[16]) eundem Melum a. d. IX. Kal. Maias 1020 Babenbergae mortuum esse, fieri non potuit ut 1021 pugna ea commissa esset. Ergo in Annalibus Barensibus omnino falso annos esse ordinatos patet. Id quod quomodo sit explicandum ut disseramus restat. Ac Wilmans[17]) quidem diversam ab aliis Barensibus autoribus temporum ordinandorum rationem nostrum adhibuisse putavit. At qualis ea esset exponere praetermisit. Atque omnino, qualemcunque quis adhibet annorum definiendorum rationem, fieri non potest, ut ab alia ratione haec modo uno modo duobus annis differat. Ergo nihil aliud restat nisi ut aut eum, qui ipse Annales Bar. vetere codice usus composuit, aut librarium, qui quod extat exemplar scripsit, summae ac fere incredibilis negligentiae arguamus. Quod enim quum de Beneventanis annalibus ageremus posuimus, in ipso libro unde hausti essent annos omnino non esse definitos, id hic non habet locum, quia ex Lupi et Anonymi consensu veterem autorem et definiisse annos et recte definiisse novimus. Atque id quidem maxime monemus ne eis quidem locis, quibus in Annalibus Bar. narrentur res, quarum praeter eos a nullo fiat mentio (a. 981. 1013) recte eos definiisse annos, sed hic quoque de annis quos illi scripserunt nobis aut unum aut duos esse deducendos.

Jam ad alteram Annalium Barensium transeamus partem (1035—1043) quaeque et apud Lupum et apud Anonymum Barensem ei respondent. Ac jam initio significavimus hanc partem viros doctos adhuc persuasum sibi habuisse veros ac genuinos esse annales, id quod vere indicatur et tota orationis ubertate et singulis vocabulis,[18]) deinde eo, quod ipse autor rebus quas narrat maxime studere videatur.[19]) Sed

[16]) Mon. Germ. hist. SS. XVII, p. 680.

[17]) Pertz. Archiv X. p. 112.

[18]) Ut. 1041: „Nam nempe ut dictum est ab omnibus qui haec noverunt“ . . . 1042: „Nam talem turrem ex strue lignorum ibidem componere fecit, qualis humanis oculis nusquam visa est modernis temporibus“.

[19]) Hoc aliquot quibus utitur epitheta ostendunt, ut 1041: venerunt ipsi *miseri* Macedones et Paulikani. 1042: Tunc ipse *iniquus* Manichi.

ubi primum cum aliis Barensibus annales nostros comparavi num recta ea opinio esset dubitavi. Nam primum hic quoque manifestum est aliquam affinitatem inter tres illos annales intercedere, quum et easdem res referant, et modo tam simili, ut plerumque eisdem utantur verbis; id quod exemplum hoc doceat:

Ann. Bar.:	Lupus.	Anonym. Bar.:
1040. Hic nono die intrante Januarii obiit Nichiforus, qui et Dulkiano, catepanus, in civitate Asculo. Et quinto die intrante mense Maii occisus est Michael Criti, qui vocatur Kirosfacti, sub castello Mutulae ab ipsis conteratis. Et septimo die astante venerunt omnes in civitate Bari cum Argiro, filio Meli. Tunc ipse Argiro sauciavit Musondo, qui erat primus inter eos, et ligatis manibus misit eum in carcere cum Johanne Stonense. Et omnes conterati dispersi sunt.	1040. praedictus Dulchianus excussit conteratos de Apulia et praedicti conterati occiderunt Chirisfactira critiri imperator subtus Mutulam et Romano Materiensi mense Maii. Eodemque mense obsedit Argiro, filius Melis, Barum civitatem et percussit Musandum et ligavit eum vinculo et introivit cum eo in Baro. Et conterati dispersi sunt.	1040. ind. 8. Obiit Nikiforo Katap. in civitate Asculo. Et ipsi Conterati interfecerunt Chirosfacti criti et Romano sub Mutule et venerunt in Bari cum Argiro et dispersi sunt.

Deinde patet et Lupum et Anonymum brevius quam Annales Barenses res gestas referre. Sed nihilominus uterque eorum narrat quae apud illos non inveniantur, easque res maximi momenti, ut Lupus:

> 1041. Et in mense Martii Arduinus Lombardus convocavit Normannos in Apuliam in civitatem Melfiae.

(idem similiter Anonymus refert.)

> 1042. Et in mense Septembris Guilelmus electus est comes a Matera. [20])

[20]) de hoc loco cf. infra p. 39. n. 25.

Anonym. Bar.:

1042. Iterum fecit proelium cum Normanni et cum Atinolfo dux eorum de Benevento.

Inde est concludendum, aut, si ipsi Annales Bar. sint fons unde Lupus et Anonymus hauserint, putandos hos esse praeter eos etiam aliis usos esse autoribus, aut Annales Bar. non esse genuinos annales, sed et eorum autorem et Lupum et Anonymum eundem antiquiorem codicem ante oculos habuisse. Ac posterior quidem sententia eo commendatur, quod inter priorem annalium nostrorum partem eandem intercedere rationem ostendimus, prior, quod sunt et apud Lupum et apud Anonymum quae repugnare Annalibus Bar. videantur:

Ann. Bar.:	
1041. haud plures, quam *duo milia* Normandi fuerunt.	Lupus. cum Normannis fere *tribus milibus.*
1042. Ibi quippe Bugiano vivus captus et portatus est per totam Apuliam usque *Beneventi* patriam.	Lup. et comprehensus est ille ibi et in *Melfia* deportatus est.
Argiro circumdedit eandem miseram Juvenatiam cum Normannis et Barensibus et eo flebilis tertia die suae obsidionis *per vim* capta est.	Anonym. Bar. Et Argiro ibit super Juvenaciem et compraehensit ea *per fraudes* ab intus.

Quamquam hae diversitates parum sunt graves. Fieri enim potuit, ut etiamsi Beneventum Bugianus ille esset deportatus, tamen, quia per totam Apuliam ductus est, in intinere etiam Melfim perveniret, item, quamvis civium aliquot proditione Argyrus esset adjutus, tamen ut vi Iuvenatium expugnaret, denique, quod numerum illum attinet, ut alteruter mendum committeret.

Jam quum utram rectam esse dicamus sententiam haereamus alius nobis auxilium fert autor atque is quidem, quem minime exspectaveris, poëta, *Guilelmus Apuliensis.* De quo, quamquam etiam cum priore annalium nostrorum parte ei intercedit ratio, tamen hic demum ubi plus nobis affert utilitatis, dicendum est. Guilelmum enim Apuliensem,

quem versibus heroicis res a Normannis, praecipue a Roberto Guiscardo, in Italia gestas narrasse notum est, multa, quae in primo libro et secundi initio habet, Barensibus autoribus similiter referre jam Wilmans, qui ultimus eum edidit,[21]) animadvertit. Idem in dissertatione de fontibus Guilelmi scripta[22]) suspicatus est et tres Barenses annales qui extant ex communi effluxisse fonte, et Guilelmum ex eodem hausisse. Sed huic suspicioni ipse parum habere fidei videtur, quum et nimis pavide eam proferat, neque in ipsa illa dissertatione, nedum in edendo Guilelmo, ullam ejus habeat rationem. Nam et hic et illic alia poëtam ex Lupo, alia ex Anonymo aut Annalibus Barensibus sumpsisse dixit, quum, si constare sibi voluisset, ex antiquis annalibus Barensibus hausta ea esse ei fuisset dicendum. Nos quidem paullo accuratius inquirendo disceptandae ejus rei faciamus periculum jamque, ne simus longi, aliquot afferamus locos, quibus quae sit tota ejus ratio atque conditio ostendatur. Ac primum quidem ex priore parte:

Ann. Bar. 1021. Hic fecit proelium Basilius Vulcano cum ipsis Francis et vicit illos in civitate *Canni*.	Guilelm. Apul. I, v. 91.
Lupus. 1019. Fecit proelium supradictus Bugiano in mense *Octobris* cum Francis et vicit. Et *Mel fugit* cum aliquantis Francis *ad Enerichum imperatorem*.	Vicinus *Cannis* qua defluit Aufidus amnis Circiter *Octobris* pugnatur utrimque Kalendas. Cum modica non gente valens obsistere *Melus* *Terga dedit*.... *Post Alemannorum petiit suffragia regis* *Henrici*.
Anonym. Bar. 1019. ind. 2. Fecit proelium Bugiano Catp. cum Franci in *Canni* et vicit, *Mel fugiit et ibit ad Enrico Imp.*	

[21]) Mon. Germ. hist. SS. IX. p. 239.

[22]) Pertz. Archiv X. p. 117. „Alle drei sind eng unter einander verwandt, da aber eine Kenntniss derselben bei Wilhelm sicher nur bis 1051 nachzuweisen ist, so wäre die Annahme von verlornen Barenser Analen, welche allen Dreien zu Grunde lägen und denen die von Pertz herausgegebenen zunächst kommen würden, *vielleicht* nicht zu gewagt.“

Hic apud Guilelmum, quae Barenses autores alia alium ex communi fonte duxisse cognovimus, conjuncta invenimus. Nonne multo plus habet verisimilitudinis ex ipso antiquo fonte eum illa hausisse, quam recentioribus diversis libris utendo iterum demum consarcinasse?

Jam ad alteram partem transgrediamur:

Ann. Bar. 1041. tunc descendit *catepanus, filius Budiano,* in Apuliam, *Michael rediit ad Siciliam, jubente imperatore*, unde venerat. Lup. 1042. venit *Exaugusto*... Anonym. Bar. 1042. Descendit *Exaugusto Catapanus, filius Bugiano.*	Guil. Ap. I, v. 347. Hunc tamen [Michaelem] esse ducem vetat amplius agminis hujus Imperii sub quo Romani cura manebat. Contra Normannos, quia nullum prosperitatis Successum obtinuit, *jubet Exaugustus* ut hujus Officium subeat, Danaos in proelia ducat. Dicitur hunc victor *genuisse Basilius* ille, Qui duce sub Melo Gallos dare terga coegit. Inde redit *Siculas Michael Doceanus ad oras.*

Aequalem esse rationem inter hos locos et illos, quos modo citavimus, nemo non intelligit. Neque vero solum verisimile est quod diximus, sed certo argumento probatur. Constat enim Guilelmum carminis sui primum hunc librum ante mensem Julium anni 1099 composuisse.[23]) Atqui Lupi chronicon quum usque ad annum 1102, Anonymi usque ad 1113 pertineat, postea scripta esse apparet. Accedit quod Guilelmus nec cum Lupo nec cum Anonymo quidquam habeat commune praeter ea, quae et illis inter se et cum Annalibus Barensibus communia sunt. Ergo Guilelmus veteres annales Barenses, quos etiam illi, ante oculos habuit.

[23]) Nam in prooemio illum Urbano papae et Rogerio duci dedicat. Atqui Urbanus annis 1088—29. Jul. 1099, Rogerius 1085—1111 regnaverunt. Tertius liber, in quo jam capta a christianis Hierosolyma memorantur (15. Juli 1099), paullo post compositus esse videtur.

Atque eorum quoque, quae Lupum et Anonymum referre, Annales Barenses non referre diximus, aliqua a Guilelmo narrantur:

Anon. Bar. 1042. et cum Atinolfo dux eorum de Benevento.	Guil. I, v. 326. Indigenam Latii propriae praeponere genti Dilexere magis, Beneventi principis hujus Nomen Adinolfus.
Lup. 1042. Et in mense Decembris obiit Michail imperator et elevatus est caesar nepos ejus nomine Michael imperator. . . . Et hoc anno depositus est praefatus caesar Michael a regno coecatusque est Zoe et Theodorae sororum jussione et Constantinus Monomachus factus est imperator. (cf. Anon. Bar. 1042).	Guil. I, v. 407. Inde manere deo nolente diucius eius Imperium moritur Michael Michaele nepote Succedente sibi, qui Constantinus et idem Nomine dictus erat. . . . . . (v. 466.) Interea Michael, qui miserat hunc Maniacem Captus caecatur, caecatus ab arce fugatur. Hoc fecere Zoe simul Theodora sorores. Est Constantino sociata Zoe Monomacho.

Quae quum e communi illo fonte hausta esse pateat maxime est verisimile etiam alia, quaecunque Lupus et Anonymus propria habere videntur, eundem ducere originem.

Jam quam quis intercedere diversitatem inter priorem et posteriorem Annalium Barensium partem existimaverit, non esse nisi quasi simulatam apparet. Nam communis eis est ratio ut ex vetustioribus annalibus sint excerptae, quamquam id huic posteriori parti proprium est, ut et multo uberius fonte illo autor usus sit et materiam illam paullo artificiosius pertractaverit, denique ut annos recte descripserit. Nam hujus partis anni cum Lupi et Anonymi annis plane congruunt. Itaque duos autores alterum alteram partem ex veteribus illis annalibus exscripsisse non negaverim.

Anni 1042 idem est Annalium Barensium, qui extant, finis. Sed antiquos annales, unde illi hausti sunt, paullo

longius pertinuisse inde concludendum est, quod Lupus et Anonymus itemque Guilelmus Apuliensis etiam de annis 1046 et 1051 re et verbis similia referunt, cujus eorum quasi consanguinitatis causa etiam hic quod eisdem annalibus usi sint putanda est. Quia autem inter ea, quae post annum 1051 autores illi singuli narrant, nulla intercedit similitudinis ratio, maxime verisimile est hunc annum ultimum fuisse, cujus res annales antiqui tractaverint. Nam id quod Wilmans contendit eis, quae anno 1071 Anonymus Bar. scripsit, Guilelmum usum esse, minime probaverim. Sunt isti loci:

Anonym. Bar.	Guil. Ap. III, v. 128.
1071. ind. 9. In mense Febr. venit Stephano Patriano et Gozolino cum stolio et compraehensa est chelandia, in qua erat Gozolino cum auro et bestimenta a stolo Robb. Dux et alium gatta Impre demersit in mare et mortui sunt ibi CL homines.	Multo superata labore Postremo capitur Joscellini navis et ipse Ante ducem captus deducitur. Altera navis Mersa fuit Danaum, vix evasere sequentes.

Utrumque hic similia referre nemo non negabit. Sed minime inde sequitur, ut alter altero usus sit. Est quam narrant res (proelium navale, quo Graecorum classis duce Gozolino Barensibus a Roberto Guiscardo oppugnatis auxilio missa a Normannis devicta est) celeberrima, quam alii autores eundem in modum referunt, sic Gaufredus Malaterra[24]) (II, 43):

„Comes vero navem Gozelini, qui dux hostium erat, duabus lanternis a caeteris distinctam eminus cognoscens illam versus impetu suorum intendere jubet. Dumque fortiter congrediuntur tanta vi quaedam ex nostris super navem illorum grassata est, ut ex uno latere cum pondere armorum incaute decurrente centum quinquaginta loricati ex nostris submergerentur."

Nonne haec aeque similia seu potius similiora sunt eis, quae Anonym. Bar. dicit, quam Guilelmi versus? Sed quis earum rerum peritus Gaufredum Anonymo usum esse dicere

[24]) Muratori. Rerum Italic. scriptores V. p. 578.

ausus sit? Neque igitur persuadere mihi possum Guilelmum haec inde hausisse, praesertim quum in tota hac carminis ejus posteriore parte ne ullum quidem aliud indicium sit, quo affinitatem inter eum et Barenses autores intercedere monstretur.

Jam, quia in Guilelmum Apuliensem incidimus, paulisper apud eum commorati de re disseramus, quae neque aliena a proposito nostro, neque parvi sit momenti ad disceptandum quae omnino poetae illi habenda sit fides, scilicet quomodo annales Barenses pertractaverit. Atque hic quidem id premendum est, quod obiter eum legentes vix animadverterint et quod etiam Wilmans fugisse videtur, non singulos solum locos sed excepto ipso initio paene totum poetae illius primum librum et secundi principium ex annalibus istis pendere. Nam quae continentur

apud Guilelmum versibus:	ea in veteribus analibus Barensibus scripta erant:
I, 47—56.	1009.
I, 57—83.	1017.
I, 84—103.	1018. 1019.
I, 241—354.	1041.
I, 355—580.	1042. 1043.
II, 5—13.	1043.
II, 14—16.	1045.
II, 38—54, 75—79.	1051.

Ac comparatis cum nostro aliis illis autoribus, qui et ipsi annales istos ante oculos habuerunt, satis accurate eum, etiamsi mutatis verbis, quae scripta illic reppererat reddidisse apparet. Neque hac in re aliud quidquam ei sit exprobrandum, nisi quod male servato temporum ordine res anno 1017 gestas eis, quae anno 1009 accidisse annales memoraverant, ita annexerit, ut proxime sequi ea videantur. At dixerit quis Guilelmum non solum annales Barenses hic retractasse, sed plurima alia addidisse. Recte. Sed ubi quaecunque adjecit diligentius examinaveris plurima non esse nisi orationis ornamenta invenies. Quum enim epos scribere Guilelmus in

animo haberet, quibus artibus uti poetae solent, ad easdem sese convertit, videlicet ut copiose singula exponeret, locorum situm depingeret, orationes fingeret, similia poneret aliaque ejusmodi, quae si deduxeris pauca restant praeter quae Barensibus annalibus debet, ad ipsas res gestas illustrandas pertinentia. Ac de his quidem, quae propria ac nova Guilelmus narrat, infra disputemus, nunc, ut id quod contendimus probemus, aliquot ejus versus citatos ita quasi dissolvamus, ut quae non sint nisi verba uncis cingamus, quae e Barensi fonte hausta apparent, typis minoribus exscribamus:

Lupus. 1009. Cecidit maxima nix, ex qua siccaverunt arbores olivae et pisces et volatilia mortui sunt. Et in mense Maii incepta est rebellio.

Lupus. 1017. Et in hoc anno descenditTurnichi catepani mense Maii. Et fecit proelium cum Mele et Normannis Leo Patianus exubitus. Iterum in mense Junii 22 die proelium fecit praefatus Turnichi catepanus et vicit Melem et Normannos et mor-

Guil. Ap. I. v. 47.

Hactenus insolitas hac tempestate Latini
Innumeras cecidisse nives mirantur et harum
Casibus extinctae pleraeque fuere ferarum
Nec fuit arboribus fas inde resurgere lapsis.
Huius portenti post visum vere sequenti
[Emptis Normannos Campanis partibus armis
Invadenda furens loca duxit ad Appula Melus.
Hunc habuere ducem sibi gens Normannica primum
Partibus Italiae, Gallos tremit Appulus omnis
Quorum praevalido multi periere vigore.]
Turnicii *[tandem rumor pervenit ad aures]*
Qui catapan fuerat Graecorum *[missus ab urbe*
Cui Constantinus nomen dedit editor urbis.]
Et Constantinus pariterque Basilius illi
Tunc dominabantur. [Gallos venisse feroces
Conductu Meli, qui factus utrique rebellis
Appula Normannis loca depopulanda monebat,
His ita Turnicius fama referente relatis]
Agmina Graecorum propere direxit in hostes.
Non etenim per se certamina prima paravit
Sed per legatum, cognomen cui Pacianus
Et Leo nomen erat, *qui juxta fluminis undam*
Nomine Fertorii, — locus est et Arenula dictus —
[Deduxit secum multos ad bella Pelasgos.]
Maii mensis *[erant aptissima tempora Marti —*
Hoc ad bella solent procedere tempore reges —]
Fortunaque pari primo pugnatur utrimque.
Auctis militibus comites fuit inde secutus,

tuus est Patiano ibi.
Anonym. Bar. 1017. Descendit Androniki Cap. et fecit proelium cum Mel et vicit Mel.

Turnicius, sed terga dedit victusque recessit.
Conflictu belli Pacianus corruit hujus.
[Normannis auget validas victoria vires
Expertis Graecos nullius roboris esse,
Quos non audaces sed cognovere fugaces.]

Clarissime hic tota poetae nostri vis atque ratio apparet, ut quae facta ex annalibus Barensibus sumpsit verborum varietate distinguat neque ipse nisi paucissima ad rem pertinentia adjiciat.

Jam de his, quae Guilelmus non ex annalibus Barensibus hausta refert, disseramus. Ac primum quidem verisimillimum puto ne ea quidem, quae ejusmodi speciem praebent, vere omnia ei propria esse judicanda, immo vero eorum quoque nonnulla ex eisdem annalibus Barensibus pendere. Neque enim cum antiquis illis annalibus poetae nostri carmen conferre nobis licet, sed cum eis solum, qui et ipsi inde aliqua exscripserint. Atqui eorum, quae Guilelmus narrat et quae neque in nostris Annalibus Bar. neque apud Lupum aut Anonymum reperiuntur, nonnulla ejusdem sunt generis cum eis, quae alias illi habent ex antiquis annalibus hausta. Ergo minime sit ineptum ea quoque Guilelmum inde hausisse conjicere. Id quod allatis aliquot exemplis magis erit perspicuum. Eo loco, quem citavimus, Guilelmus refert, quae a nostris Barensibus autoribus non memorentur: Constantinum et Basilium tunc imperatores fuisse Graecorum, et proelium illud ad Arenulam prope Fertorium flumen esse factum. Atqui aliis locis fere innumeris a nostris Barensibus autoribus Graecos imperatores aut capessivisse imperium aut mortuos esse memoratur atque ita quidem, ut alius saepe habeat, quae alius omiserit. Sic anno 1042 Lupus et Anonymus Michaelem defunctum esse, Constantinum Monomachum successisse referunt, in Annalibus Bar. nulla eorum fit mentio. Quodsi illo loco ex veteribus annalibus eos hausisse patet, nonne etiam hoc Guilelmum? Dein de loco pugnae sufficit id meminisse quod jam semel ad illustrandum, quae inter Barenses nostros autores intercedat ratio, attulimus: anno

1019 proelium inter Normannos et Bojoannem catapanum quo loco commissum sit Lupum non dicere, Annales Bar. et Anonymum dicere, ergo veteres annales dixisse esse concludendum. Hic aeque verisimile est quem locum pugnae Guilelmus nominat, quamvis Lupus et Anonymus non nominent, veteres annales nominasse. Atque eundem quidem originem ducere, quae de Sinodiano (I. v. 410—418) Guilelmus refert, conjecerim. Sed vere sunt in hoc primo libro, quae facta Guilelmum non ex Barensi fonte hausisse constet. Quorum tria discernenda esse genera puto. Ac primum quidem genus continet, quae a Guilelmo ipso non tam ficta quam conjecta sint ex eis, quae apud Barensem breviter admodum atque interrupte narrata invenerat. Quae ratio ejus clarissime apparet versibus 326—330:

Indigenam Latii propriae praeponere genti
Dilexere magis, Beneventi principis hujus
Nomen Adinolfus, quos *forsitan* ipse vel aurum
Dando vel argentum pacti mutare prioris
Compulerat votum.

Sunt etiam alii loci, quibus hunc in modum egisse poeta videtur, ut I. 94, ubi Meli in Germania commorationem et mortem narrat, item I. 80:

Imperii fama insinuat rectoribus arva
Appula Normannis Melo duce depopulari.
Hunc his auditis sibi curia indicat hostem,
Si capitur capitis fieri caesura jubetur.

Quae quidem ficta sunt eaque inepte. Quum enim jam inde ab anno 1009 Melus a Graecis defecerit minime verisimile puto, anno 1017 eum esse proscriptum.

Secundum genus continet quae e populari sermone accepta Guilelmus in carmen suum incluserit. Sunt ejusmodi quae libri primi initio (— v. 41) de causa atque occasione Normannorum in Italiam adventus narrat, deinde (v. 104—240) quomodo primas illic sedes collocaverint et res ordinaverint. Quae quidem qua sint fide digna examinare non est nostrae dissertationis. Id solum monuerim etiam ipsis eis, quae e Barensi fonte hausit, aliqua ejusmodi inseruisse eum videri,

ut versibus 425—445 quae singula de principatu Argyro a Normannis delato, versibus 454—465, 493—495 de Maniacis crudelitate narrat. Sed dubitaverim num quae singula de proeliis ad Oliventum, ad Cannas, ad Montem Pelusum annis 1041 et 1042 inter Normannos et Graecos factis tradit, eundem ducant originem. Hic enim in eo offendi, quod plurima eorum tam accurate essent relata, ut ex litteris potius quam ex fama et rumoribus hausta esse viderentur. Sic Guilelmus scribit in prima pugna Normannos 500 pedites, 700 equites fuisse, quamquam Barensem autorem, quem alioquin hic sequitur, ex Annalibus Barensibus et ex Lupo discimus 2000 aut 3000 eorum numerasse. Neque vero fama numeros nisi valde exaggeratos tradi puto, neque Guilelmum numeris, quos fama comperuerit, plus habiturum fuisse fidei quam quos apud Barensem scriptos repererit. Atque accedit aliud. Quae libri II versibus 80--256 poeta copiosissime de proelio inter Normannos et Leonem papam ad Civitatem facto narrat, quis sit fons unde ea hauserit, ignoramus. Sed quia diligentissime ac certissime quaeque exponit, facere non possum, quin litteris eisque ab homine pugnae illius aequali scriptis usum eum esse arbitrer. Atqui loci, in quibus hic haeremus, ejusdem cum illo sunt generis, quippe qui et ipsi proelia Normannorum contineant descripta. Nonne igitur fieri potest, ut inter hos et illum aliqua intercedat cognationis ratio, nonne conjiciendum est extitisse olim litteras qualescunque proelia in Apulia a Normannis facta illustrantes, easque Guilelmum ante oculos habuisse? Si res ita se habeat tertium genus eorum, quae non e Barensi fonte Guilelmus hausit, ea contineat quae ex alio illo libro didicerit.

Jam absolutis quae de Guilelmo Apuliensi nobis dicenda erant de ultima et Lupi et Anonymi Barensis parte disputemus. Atque hic quidem gravissimum est idemque facillimum intellectu nullam jam inter ea, quae inde ab anno 1052 uterque refert, intercedere necessitudinem.

Ac de Anonymo pauca adjicere sufficiet. Vere Barii annales eos esse compositos ipsi pluribus locis indicant, ut:

1064. Et Robbertus dux venit in Bari et fecimus ei sacramentum et ille nobis.

et in monasterio quidem S. Benedicti inde conjecerim, quod saepissime ejus faciant mentionem. Quamquam ea de re utrum unus eorum fuerit autor, an paullatim a pluribus sint compositi, item utrum ipsi genuini sint annales, an ex aliis excerpti ac repetiti, qualem prioris eorum partis esse rationem demonstravimus, nil ausim certi affirmare. Id solum constat eorum, quae ultimis annis 1115, 1117, 1118 referuntur, diversum esse autorem quam reliquarum partium. Is enim solas res Barenses easque uberrime narrat, reliqua autem et brevius scripta sunt et praeter quae in urbe illa acciderint plurimum in rebus principum Normannorum versantur, qui post victos Graecos et Longobardos tota fere Italia inferiore dominabantur, quamvis etiam hic eorum accuratissima fiat mentio, quae in ipsa orientali Apuliae parte gesta sint.

Paullo difficilius est de Lupi annalibus disputare. Ac primum quidem quod nomen autoris vulgo usurpatur, incertum est, seu potius suppositum esse verisimile est. Neque enim antiquorum codicum ullus id profitetur, et qui primus introduxit, Caracciolus, in apographo satis recenti eodemque vilissimo invenit. Ergo quaecunque viri docti Italiae de illustrando eo nomine disseruerunt parvi sunt momenti. Itaque nos praetermisso eo quae sit ipsorum annalium hujus posterioris partis ratio, quo tempore, quo loco scripta sit examinemus. Ac de loco quidem discrepant inter se virorum doctorum sententiae. Alii enim Bario, alii Matera oriundos eos existimant, Pertzius duas discernendas esse conjicit partes, quarum altera sit Bariensi, altera (qua ultimi anni 1091—1102 contineantur) Materano tribuenda autori. Sed neminem eorum satis accurate satisque recte dixisse arbitror. Ac primum quidem monenda mihi esse videtur vis ac natura, qua-

lem prioris esse annalium nostrorum partis probavimus, scilicet ut non ex uno, sed ex pluribus simul fontibus (ex annalibus Barensibus antiquis et ex vetere chronico Beneventano) sit hausta. Eandem hujus quoque partis esse rationem puto. Ubi enim diligentius quis eam examinaverit, eorum, quae referuntur, duo esse genera inter se diversa reperiet. Quorum alterum res continet singulares in Apuliae partibus gestas, quas ex *annalibus Materanis* haustas esse inde concludendum est, quod ejus urbis et saepissime et copiosissime res memorentur, ut:

> 1054. obiit Sico prothospatarius Materiensis.
>
> 1080. et in mense Julii 26 die eiusdem mensis mortuus est Robertus comes eximius et ejecti sunt Normanni de Matera secundo et coepit regnare Lofredus comes, filius ejus, pro eo in Matera in vigilia sanctae Mariae mense Augusti.

et ejusdem modi sunt res annis 1024, 1064, 1066, 1079, 1082, 1093, 1101, 1102 scriptae.[25] Barensium quoque rerum aliquot locis (1069, 1071, 1079, 1080, 1087) fit mentio neque vero unquam ita, ut ex ipso Barensi fonte haustae eae esse putandae sint, id quod clarissime apparet si et nostrorum annalium et Anonymi Barensis qui in eisdem rebus versantur inter se comparentur loci; sic:

Lupus.	Anonym. Bar.
1057. in mense Maii corpus beatissimi Nicolai Mirrensis episcopi a quibusdam Barensibus a praedicta Mirrea ablatum in Barum devectum, caput civitatum Apuleae.	1017. ind. 10. Nono die intrante Magii adduxerunt nostri Barenses beatissimi S. Nicolai corpus.

Nihil hic indicat, eum qui priora scripsit Barensem fuisse, immo vero non est alia de Barensibus quam de rebus

[25]) Nescio an etiam quod anno 1042 legimus: „Et in mense Septembris Guilelmus electus est comes a Matera". ex Materano illo fonte haustum sit. Neque enim Guilelmum, quem Melfiae tunc comitem Normannorum electum esse novimus (cf. Amatum II. 28). hic comitem „a Matera" dici explicari posse videtur, nisi ipse Materanus hoc scripserit.

aliarum Apuliae urbium (Acheruntiae, Brundusii, Oriae etc.) disserendi ratio.

Alteri generi tribuenda esse videntur quae non in Apuliae solum sed in totius Italiae atque universi orbis quasi conspectu gesta referuntur. Sunt aut res a Normannis principibus gloriosissime aut infra aut extra Apuliae partes gestae, ut:

1076. Comprehensus est quidam nepos Africani regis a Rogerio, fratre ducis Roberti, qui praeerat Siciliae, cum 150 navibus in civitate Mazaria. Et hoc anno dedit praefatus dux filiam suam nurum imperatori Constantinopolitano.

aut quae ne ad eos quidem pertineant, ut:

1047. .. et in mense Junii supradictus papa Benedictus per poculum veneni occidit papam Clementem.

1067. in mense Maii mortuus est Constantinus o Ducos imperator et Michael, filius ejus, suscepit imperium. Et hoc anno apparuit stella cometes et comes Normannus Robertus fecit bellum cum Araldo rege Anglorum et vicit Robertus, qui et factus est rex super gentem Anglorum.

Quae ex eodem fonte unde priora illa, id est ex annalibus Materanis, hausta esse minime persuadere mihi potui. Primum enim Materam eum locum esse, unde annales ejusmodi quasi universalem historiam spectantes oriundi sint, negaverim. Erat enim et est urbs parva, ne maris quidem littori contigua, neque aut civibus ejus aut monasterii alicujus infra eam siti monachis ullam singularem cum Normannorum principibus rationem intercessisse, qua ad res eorum scribendas incitatos illos esse conjiceremus, memoriae proditum est. Accedit aliud argumentum, quod ipsius orationis spectat formam. Quibus enim locis una in annalibus nostris et rerum Apulicarum et quae ultra eos fines quasi progrediantur fit mentio tanta earum est discrepantia, ut ipso initio ab eodem utrasque autore scriptas esse minime vero simile sit; sic:

1082. Et hoc anno Alexius imperator collecto grandi exercitu iniit bellum cum Roberto duce haud longe a Durachio et terga versus fugit cecideruntque in ea pugna plus quam 6000 ex suis, fuerunt autem in ejus exercitu 70 milia hominum. Et

dominante isto Alexio imperatore episcopus Rubensis nomine Guislibertus donavit priori Montispilosi ecclesiam Sancti Sabini, quae est in civitate Rubi etc.

Nonne hic ipsa illa verba, quibus inepte res inter se copulantur: „et dominante isto Alexio" indicant duos quasi pannos diversi generis ac coloris esse consarcinatos?

Rectam hanc esse nostram sententiam clarissime apparet alio quasi in auxilium vocato autore, Romualdo Salernitano. De quo quum infra sit fusius disputandum, hic quae cum nostris annalibus ei intercedat ratio exponere sufficit. Duplex ea est. Nam primum jam vir doctissimus Meo[26]) animadvertit plurimos Lupi annalium integros locos Romualdi chronico esse insertos. (sunt ei de annis 1044. 1046. 1063. 1064. 1066. 1068. 1070. 1071. 1072. 1076. 1077. 1080. 1081. 1088. 1089.) Quos quidem jam idem ille vir conjecit non ipsum Romualdum recepisse, sed, quum ab alio in margine essent notati, postea ab imperitis librariis orationi ejus esse interpositos. Rectam hanc esse opinionem locis, quos affert, probari arbitror. Quorum aliquot in usum eorum, quibus liber ejus praesto non sit, repetam. Anno 1077 ubi alium autorem secutus Romualdus copiose Salernitanam urbem a Roberto Guiscardo oppugnatam et captam narrat, inepte mediae ejus orationi interposita sunt Lupi verba: 1076. „Et hoc anno dedit praefatus dux filiam suam nurum imperatori Constantinopolitano", inepte in fine sequuntur Lupi verba: 1077 „Obsessa est civitas Salerni a Roberto duce Normannorum et compraehensa est ab eo." Anno 1066 postquam Romualdus scripsit: „Hinc etiam ipse dux Barum obsedit Apulie civitatem et triennio eam incessanter oppugnavit terra marique", sequuntur Lupi verba (ad 1071): „pontem quoque ibi in mari fecit." Totus autem ille Lupi de a. 1071 locus post quae de eodem anno Romualdus memoravit iterum repetitur.

Sed etiam alia inter utrumque autorem intercedit ratio

---

[26]) Annali del regno di Napoli. VIII. p. XI.

multo gravior, quam nemo adhuc animadvertisse videtur, ea scilicet, ut plurima, quae inde ab anno 1086 Romualdus refert, ex eodem fonte hausta sint unde pars eorum, quae apud Lupum inveniuntur. Id quod aliquot utriusque locis inter se collatis illustrandum est:

Lupus.	Romuald. Sal.
1087. In mense Maii corpus beatissimi Nicolai Mirrensis episcopi a quibusdam Barensibus a praedicta Mirra ablatum in Barum devectum, caput civitatum Apuleae. Hoc anno abbas Desiderius Sancti Benedicti montis Casini consensu quorumdam nobilium Romanorum factus est papa Romanus vivente adhuc Clemente papa, qui fuerat Ravennas archiepiscopus.	1087. Ind. 10. Mense Madio corpus B. Nicolai de Mirrhaea translatum in Barum Apuliae civitatem fuitque virtus domini ad sanandum multos infirmos. Eodem mense Victor, qui et Desiderius, Casinensis abbas, genere Samnis, post duos annos, ex quo Gregorius obiit, papa est ipse ordinatus.
1092. Dum obsideretur Ories civitas a Boamundo auxilio quorumdam Orietani dissipaverunt ejus obsidionem et ipse Boamundus fugam petens cunctum ejus apparatum et signa ceperunt.	1091. Eodem anno dum obsideretur Oria civitas a Boamundo auxilio Roberti de Ause Oritani dissipaverunt obsidionem ejus, ipso Boamundo fugam petente, cum toto ejus apparatu.

Et eundem in modum inter se respondent plurima, quae annis 1086, 1088, 1089, 1090, 1096, 1097, 1098, 1099, 1100 uterque memorat. Atque hanc quidem eorum esse rationem, ut pauciora Lupus, Romualdus plura ex communi fonte hauserit, quum jam loci, quos citavimus, indicent, aliis etiam clarius monstratur; ut anno 1097, ubi de cruciferorum expeditione agitur, Lupus ait: „Boamundus cum comite S. Egidii et cum comite Normanniae et aliis comitibus occidentis“ etc., Romualdus etiam aliorum illorum comitum nomina exscribit; anno 1088 Lupus brevissime bellum inter Rogerium et Boamundum fratres ortum memorat, Romualdus idem copiose exponit.

Quamquam igitur intima quadam necessitudine hae Lupi

annalium et Romualdi chronici partes conjunctae sunt, tamen nonnulla, quae narrant, inter eos autores non conveniunt. Id quod si accuratius persequimur, reperimus quibus Lupi annalium locis nil simile apud Romualdum respondeat eos esse, quibus de Materae, Acherontiae, Brundusii, Barii, id est de singularibus Apuliae rebus agatur; contra quae et Lupus et Romualdus habeant communia plurima ejusmodi esse, ut universalem quasi historiam spectent (res Normannorum principum, paparum, cruciferorum expeditionem etc.) pauca ad ipsius Apuliae res pertinere, sed eas quoque majoris momenti (ut 1087 corpus s. Nicolai Barium translatum, quae res quam fuerit celebris inde liquet, quod etiam in annalibus procul scriptis, in Annalibus Beneventanis, Cavensibus, memoratur; 1090 ingens Acheruntiae urbis incendium). Jam id quod in Lupi annalium hanc ultimam partem inquirentes modo posuimus, ex duobus libris eam esse conscriptam, quorum alter res majoris momenti, praecipue Normannorum principum tractaverit, probatur. Nam quae alteri illi tribueramus, etiam apud Romualdum Salernitanum reperiri, quae alteri, deesse ei ostendimus. Ac ne quis nobis objiciat id quod comparatis Lupo et Romualdo conclusimus non necessario inde sequi, fieri enim posse, ut, quum liber quo Romualdus usus est idem et maximi et minimi momenti res continuerit, alteris omissis ille alteras solas receperit, ad chronici ejus priorem partem provoco. Quum enim illic et gravia et levia promiscue memoret, omnino non quae in fontibus repperit cribro quasi crevisse eum concludendum est.

At qui ille est fons, unde et Lupus et Romualdus hauserunt? Accurate definire non valeo, neque enim ulla fere repperi indicia. Id solum ex tota eorum, quae a duobus illis autoribus servantur, ratione conjecerim annales fuisse in Italia inferiore ab homine ipsis rebus, quas narrat, aequali scriptos, qui idem ex altiore quodam fastigio, non ut alii plerique annalium scriptores ex monasterii quasi cellae fenestra, res spectaverit.

Jam quae esset Lupi annalium ratio, ut et priore et posteriore parte e compluribus fontibus haustas res conjunctas inter se continerent, cognovimus. Quamquam qui fuerit ille totius operis confector et quo tempore scripserit valde ambiguum est. Sacerdotem seu monachum eum fuisse eis ex verbis fortasse conjici possit, quibus anno 1085 utitur, siquidem ipse, non vetus autor, quem secutus est, scripsisse ea putandus est:

1081. dux Robertus . . . praeparans se qualiter cum grandi apparatu navium et militum innumera multitudine ad regiam tenderet navigio urbem, *jussu misericordissimi omnipotentis dei, qui dissipat ac reprobat cogitationes atque consilia principum non ex suo procedentia,* profluvio ventris extinctus est.

Neque enim, ut Peregrinus vult, studio Graecorum dicta ea, sed nil esse nisi verba putaverim, qualia sacerdotuli conterere solent.

Denique monendum est et Lupum et Anonymum Barensem in annis ordinandis calculum Graecum adhibuisse. Id quod multi loci ostendunt, ut:

Lupus. 1081. Robertus dux intravit Tricarim mense *Octobris.* Et in mense *Aprilis* etc.

Anonym. Bar. 1085. Transiit ipse Robb. in Romania in mense *Octobr.* In mense *Januarii* . . . Et in mense *Julii* . . . .

Id quod si quis animadverterit rectissime dicta esse cognoscet, quae alii obiter intuentes falsa putaverint. Sic Lupus anno 1077 Salernum a Roberto duce captum esse falso retulisse videtur, quoniam 1076 eam urbem expugnatam esse constat. At Idibus Decembribus. Ergo Lupus recte scripsit, quippe qui a Kalendis Septembribus anni sui faceret initium. Ac Pertzius quidem Lupum nonnunquam Salernitano calculo usum esse, id est inde a die 25 Martii annum incepisse contendit. Nam stellam crinitam, quam anno 1067 memoret, 8 Kal. Maias 1066 apparuisse, synodum Barensem, quam anno 1099 tribuat, 1098 esse celebratam. Sed dubito an recte vir clarissimus dixerit. Nam synodus illa mense Octobri anni 1098 congregata est; ergo etiam hic Graeco calculo nostrum

usum esse existimare licet. Anno autem 1067 errasse potius Lupus quam eo unico loco diversum calculum videtur adhibuisse; praesertim quum omnino parum illic accurate res, quarum fama procul ad Italas partes pervenerit, narret.

Restat in hac dissertationis nostrae parte, ut de libello, quem nomine *Brevis chronici Northmannici* Muratorius edidit,[27]) disputemus. Hujus enim et Pertzius[28]) et Wilmans[29]) magnam partem ex Lupi annalibus haustam esse affirmaverunt. Sed utrumque errore lapsum esse credo. Id quod ut probem aliquot et Lupi et chronici illius locos, eosque quos maxime quis similes esse inter se putaverit, afferam:

Chr. breve Northm.	Lupus.
incipit: 1041. 'Northmanni duce Arduino Longobardo primum invadunt Apuliam cum exercitu magno et forti.	1041. Descendit Dulchiano a Sicilia ivitque Ascolum et in mense Martii Arduinus Lombardus convocavit Normannos in Apuliam in civitate Melfiae etc.

Et haec et quae anno 1042 in chronico scripta Lupi annis 1041 et 1042 respondent genere solum, ut ita dicam, non specie inter se similia sunt. Quamquam enim uterque autor in eisdem rebus versatur tamen neque singula eodem modo narrat, neque verbis inter se concinentibus utitur. Ergo alterum ex alterius libro hausisse minime concludendum est.

1043. Maniaces magister cum exercitu Graecorum fecit proelium contra Northmannos circa Materam et fuit magna plaga in utroque exercitu.	1042. Et in mense Aprili descendit Maniaki magistro Tarentum et in mense Junii deportavit Monopolim civitatem abiitque in civitatem Materiem et fecit ibi grande homicidium.

Hic quae uterque scribit plane inter se discrepant. Nam

---

27) Scriptores rer. It. V. p. 278.

28) Mon. Germ. hist. SS. V. p. 52.

29) Pertz. Archiv X. p. 117: „Bestätigt würde diese Muthmassung weiter durch das breve Chr. Nortm., welches zwischen 1111 u. 1117 geschrieben eine Benutzung des Lupus verräth, aber eine solche, dass ein vollständigerer Text desselben, als wir ihn besitzen, zu Grunde gelegen haben müsste".

chronicon proelium a Normannis contra Maniacem factum memorat, Lupus facinora crudeliter ab illo contra cives Materae et Monopolis admissa.

De anni 1044 rebus Chronicon breve, de sequentis Lupus silet, quae anno 1046 uterque memorat tantum ad easdem res pertinent; postea quae singulis annis ab utroque narrantur multa plane inter se abhorrent, alia, quae ejusdem generis sunt, nullum ostendunt quasi consanguinitatis indicium, ut:

Chr. breve.	Lupus.
1053. Northmanni bellum gerunt cum Leone papa et principe Beneventano et catapano imperiali in principatu Beneventi et fugatur Rudolphus princeps et Leo papa capitur ab Humphredo et Normannis et fit magna strages in mense Junio.	1053. In feria 6 de mense Junii Normanni fecerunt bellum cum Alamannis, quos papa Leo conduxerat et vicerunt.

Et hoc et aliis locis vel copiosius atque accuratius in Chronico quam a Lupo res gestae referuntur. At, ait Wilmans, quos Lupi annales Chronici brevis autor ante oculos habebat pleniores erant, quam qui nunc extant. At quibus causis id ita esse probavit? Immo vero, ne eis quidem locis, quos primos citavimus, ubi plenior est Lupi quam Chronici oratio, hoc illo usum esse demonstrari potest. Neque igitur sententiam illorum rectam existimo, sed paullo accuratius inquirenti facile esse ad intelligendum, et quae sit vera chronici illius ratio et qui fiat, ut plerumque in eisdem cum Lupo rebus versetur.

Recte Northmannici cognomen chronico nostro impositum esse inde liquet, quod nil in eo exponitur nisi res a Normannis in Italia usque ad Roberti Guiscardi ducis mortem gestae. Atque ab ipso quidem Normanno quodam seu certe a Normannorum fautore scriptum esse tota ejus ostendit ratio. Quo tempore compositum sit ipsa ultima verba docent: „Succedit Roberto Rogerius filius ejus, pater Willermi III ducis Apuliae, *qui nunc feliciter ducatur.*“ Ergo inter annos

1111—1127, quibus ille Apuliae praeerat, chronicon scriptum est. Atque nostra quidem maxime refert cognoscere qua fide illud dignum, id est quibus ex fontibus haustum sit. Si enim putandus esset autor ejus, quas res multo ante memoriam suam gestas scripsit, ex vulgi solum ore percepisse parvi esset faciendus. Neque vero res ita se habet, immo vero plurima, quae cum relatis ab aliis autoribus fide dignis conferre nobis licet, rectissime scripta esse apparet. Ergo litteris antiquioribus usus esse putandus est. Atque id primum cognoscimus fieri non posse, quin fons, unde hauserit, in Apulia quasi fluxerit. Nam hac in provincia res gestae copiose in chronico nostro exponuntur, contra quae alias acciderint, etiamsi sint gravissima, levissime tractantur, ut:

1074. Idem Robertus dux ivit in Campaniam et cepit multas civitates cum civitate Salerni et inimicatus est cum papa Gregorio.

Paucissimis istis verbis quaecunque inter annos 1074 et 1077 Robertus gessit esse expedita jam Muratorius miratus est, quamquam qua causa id effectum esset non repperit.

Quum igitur Apulicis annalibus chronici nostri autorem usum esse cognoverimus qua ex regione provinciae illius oriundi ei sint quaeramus. Atque ego quidem vero simillimum esse puto *annales Tarentinos* fuisse. Quum enim omnino quae in chronico referuntur plurima eam Apuliae partem spectent, quae hodie „Terra d'Otranto“ vocatur, rerum Tarentinarum longe saepissime fit mentio. (1045, 1052, 1055, 1056, 1058, 1060, 1063, 1064, 1067, 1080). Accedit etiam hoc gravissimum. Aliquot locis mirum in modum res ut a Goffredo quodam comite gestae referuntur, quibus ipsum Robertum ducem praefuisse constat:

1068. Goffredus comes obsedit montem Pillosum et comprehendit eum in mense Junio.

1072. Idem Robertus dux cum exercitu navali vadit ad capiendam Siciliam insulam et Goffridus comes obsedit Panhormum et cepit eam.

Sed ab ipso Roberto Guiscardo his annis et Montem Pi-

losum et Panormum capta esse reliqui autores omnes testantur[30]). Qua in re haerentibus nobis auxilium afferunt, quae annis 1063 et 1064 in ipso chronico memorantur:

1063. Mense Aprilis mortuus est Gauffredus comes et Goffridus filius ejus cepit Tarentum.

1064. Et mense Septembri mortuus est Malgerus comes et deinde mortuus est in Tarento Guilelmus comes ejus.

Quibus adjicienda sunt quae Gaufredus Malaterra (I. 15) refert: [Humfredus] duos itaque fratres suos comites fecit, Malgerium Capitinatae, Guilelmum vero in Principatu. Sed Malgerius moriens quum omnem comitatum suum Guilelmo fratri suo reliquisset Guilelmus Gaufredum fratrem suum diligens sibi concessit. "

Quibus locis inter se comparatis[31]) efficitur urbem Tarentinam, quum a Goffrido, Goffridi, Humfredi et Roberti Guiscardi fratris, filio 1063 capta sit, primo Guilelmo comiti, patrueli ejus, subjectam esse, post ejus autem mortem una cum alia ejus haeredidate ipsi Goffrido contigisse; ergo Goffridum illum dominum Tarenti fuisse. Jam si annales, quibus chronici nostri autor usus est, Tarenti scriptos esse putamus, quidquid afferebant difficultatis quae de annis 1063 et 1064 memorata erant facillime tollitur. Nam quod Tarentinus in rebus sub auspiciis Normannorum ducis gestis scribendis, quibus et ipse Tarenti dominus interfuerit, aliis praetermissis illius solius faciat mentionem minime hominum naturae repugnet.

Ergo Chronici brevis Northmannici eam esse rationem puto, ut quisquis autor ejus fuit veteres annales Tarentinos

[30]) Cf. Guil. Apul. II. v. 459. Gaufred Malat. II. 39. Lupus a. 1068. — Amat. VI. 14. Gaufred. Malat. II. 45. Leo Casin. III. 29. Guilelm. Apul. III. v. 166 seqq. Lupus 1072. Anonym. Bar. 1072.

[31]) Nominum et patris et filii aequalitas in errorem Gaufredum Malat. induxisse videtur. Si enim, ut vult chronicon nostrum, Goffridus ante Guilelmum fratrem mortuus est, is non ipsum sed Goffridum filium ejus haeredem potuit instituere.

exscripserit. Atque ipse quidem nihil fere addidisse videtur nisi verba, ut:

1052. Fit proelium .... et victus est Sico Prothospata. *Et dominium Northmannorum factum est magnum in Calabria et Apulia et crevit potentia et timor eorum in omni terra.*

quae quidem ab eis, quae ex Tarentino illo fonte hausta sunt, levi opera discernuntur. Denique quod et Lupi annales et chronicon nostrum saepe in rebus ejusdem generis versentur facillime potest explicari. Nam Lupum ex annalibus Materanis hausisse demonstravimus. Atqui Matera et Tarentum in vicino sita sunt. Ergo res illis in partibus gestas saepe easdem scribere utriusque intererat autoris.

CAPUT II. DE MONTIS CASSINI ANNALIBUS.

Jam absolutis quaecunque de annalibus ad Barium aliasque Apuliae urbes pertinentibus dicenda erant ad secundam hujus opusculi partem transgressi de annalibus clarissimum Montis Cassini monasterium spectantibus disseramus. Continentur ei: Annalibus Cassinatibus, Anonymo Cassinensi, Annalibus Cavensibus majoribus et minoribus, denique variis chronicis, quorum nomina infra laudabimus. De quibus quamquam paullo diligentius quam de Barensibus annalibus ab aliis quaesitum est, tamen alia quae variis illi locis dixerunt, comprehendenda, alia corrigenda, alia denique nobis adjicienda sunt.

Atque ab eis annalibus proficiscamur, quos *Anonymi Cassinensis* viri docti appellaverunt. Extant eorum in ipsa Montis Cassini bibliotheca codices quatuor, quorum in primo (numero 47 notato) res inde ab anno 1000 usque ad 1152 gestae scriptae sunt, secundus (n. 199) ab anno 1000—1195, tertius, qui idem Leonis et Petri chronicon exhibet (n. 851 seu 450) ab anno 1153—1212, quartus denique (n. 62 seu 1020) inde a 1000—1154 pertinet. Ac tribus quidem prio-

ribus in editionibus fuis Caracciolus et Peregrinus[32]) usi sunt, quartum solum Muratorius[33]) publicavit.

Qua ex codicum diversitate liquet, non uno tenore ab eodem autore annales nostros esse compositos, sed tres discernendas esse partes diversis temporibus confectas, quarum prima usque ad annum 1152, secunda usque ad 1195, tertia usque ad 1212 pertineat. Ac nobis quidem de prima sola — nam reliquae quem nobis proposuimus finem excedunt — disputandum est. Hanc quoque in tres partiunculas dissolvamus, non quo vere magnum inter eas intercedat discrimen, sed quo facilius aliis annalibus, qui singulis illis respondent, comparatis quae sit totius operis ratio, quibus ex fontibus haustum, qua fide dignum sit cognoscatur.

Ac primum quidem partis illius, qua res inde ab anno 1000—1028 gestae admodum breviter atque tenuiter scriptae sunt, quae sit natura facillime intelligitur, si et cum Cassinatibus et cum Cavensibus minoribus annalibus confertur. Sed jam de ipsis illis annalibus pauca sunt praemittenda. *Annales Cavenses minores*, quod nomen Pertzius annalibus in codice Babenbergensi repertis imposuit[34]), quum initio inde ab anno 902 non enumeraverint nisi imperatorum Germaniae nomina et annos, inde ab anno 1000 passim res in inferiore Italia gestas notant. *Annales Cassinates* ex codice Cassinensi primo a Gattula, dein a Pertzio editi[35]) pauca, quae inter annos 914 et 1010 in eisdem partibus acciderint, memorant. Quorum de priore parte quum infra sit disputandum, posteriorem quae in annis 1001, 1005, 1007, 1010 versatur hic monemus, id quod ne ei quidem, qui eos ediderunt, animadverterunt, hanc Anonymi nostri partem intima quasi necessitudine attingere. Nam quibus

32) Muratori. Script. rer. Ital. V. p. 53.

33) Ibidem p. 137.

34) Mon. Germ. hist. SS. III. p. 185. Immerito nomen illud impositum esse ex eis, quae disseremus, liquebit. Neque enim sunt nisi annales Cassinensis excerpti. 35) Ibidem p. 171.

annis conferre eos inter se licet eadem simillimis verbis, sed Anonymum paullo contractius referre apparet, ut:

Annal. Cassin.:	Anonym. Cassin.:
1001. Hoc anno Otto III imperator obiit in oppido Sutri, cujus corpus stramonte portatum est et in Aquisgrani palatio humatum est atque in loco ejus Enricus rex est constitutus a suis, qui erat filius patrui sui.	1001. Obiit Otto tertius imperator Sutri et Heinricus filius patrui sui fit rex.
1007. Hoc anno defunctus est Landolfus princeps Capuanae civitatis, qui habuit in principatu annos novem.	1007. Obiit Landulphus princeps Capuanus.

Deinde si Annales Cavenses minores adieris utrisque his cognatos eos esse reperies, ut:

Annal. Cassin.:	Anonym. Cassin.:	Ann. Cav. min.:
1005. Hoc anno hunc montem a vi terraemotus per quindecim dies et etiam amplius ita exagitatus est, ut hanc ecclesiam in quibusdam locis scinderet et omnes hunc montem subrui existimaremus.	1004. Terraemotus ingens per XV et eo amplius dies hunc montem exagitavit, ita ut in nonnullis locis ecclesiam scinderet.	1005. Eodem anno terraemotus ingens per 12 (?) dies.

Neque vero ipsis Annalibus Cassinatibus Anonymus et Annalium Cavensium autor usi sunt — nam complura habent, quae in illis non inveniantur — neque Anonymo Annales Cavenses, nam inter eos quoque, etiamsi simillimi sunt, aliqua intercedit diversitas, ut:

Anonym. Cassin.:	Annal. Cav. min.:
1014. Heinricus rex venit Romam et coronatus est a papa Benedicto. Obiit Pandulfus princeps.	1014. Heinricus rex venit Romam et coronatus est a papa Benedicto. Henricus imperavit annis 10.

Ergo tres illi annales ex eodem fonte, ex veteribus annalibus Cassinensibus hausti esse putandi sunt.

Ac secundae quidem Anonymi nostri annalium partis (qua anni 1033—1089 tractantur) eandem esse rationem intelligitur, si cum Annalium Cavensium et majorum et minorum quae in eisdem temporibus versantur partibus comparatur. Nam *Annales Cavenses majores*, quum initio nil fere contineant nisi nomina et annos imperatorum Romanorum et Graecorum, principum Arabum et Longobardorum, (quos ultimos ex catalogo principum Beneventi hauserunt) inde ab anno 1034 copiosius res Italiae inferioris narrant. Quos quidem cum Anonymi Cassinensis annalibus aliqua ratione cohaerere quum jam Meo[36]) animadvertisset, Pertzium, qui nostra aetate eos edidit, fugit. Idem deinde qui nuperrime de eis disputavit, Weinreichius, animadvertit. Sed qualis sit ea cognatio quum is omnino non, Meo minus recte definierit, paucis utrorumque annalium locis inter se collatis ostendamus:

Anonym. Cass.:	Annal. Cav.:
1074. Nocte natalis domini captus est praedictus papa supra sacrum altare a quibusdam Romanis sed vi et constantia omnium Romanorum eodem die receptus est.	1075. Termino hujus anni, id est ipsa nocte natalis domini, captus est praedictus papa supra sacrum altare a quibusdam Romanorum *infidelibus*, sed vi et constantia omnium Romanorum eodem die receptus est.
1080. Henricus rex valida manu venit Romam sed obsistentibus Romanis cum papa Gregorio sine effectu reversus est. Robertus dux Romaniam ingreditur.	1081. Henricus... reversus est. Robertus dux *transito mari* Romam debellaturus ingreditur.

Utrique ex communi fonte hausisse existimandi sunt. Nam quae verba Annales Cavenses plura habent non ex libidine ab eis addita esse inde liquet, quod eadem inveniantur

---

[36]) Annali del regno di Napoli. VIII. p. X. „E poi da osservarsi che la nota del cronista Cavese al 1057 si trova tal quale appo l'Anonimo Cassinese tolto il „termino hujus anni", così parimente la nota del 1076 et molte altre sono le stesse, onde *l'uno ha preso dell' altro*".

in chronico Cassinensi, quod et ipsum eo fonte usum esse infra ostendemus:

Petrus Cassin. III, 36. Quo tempore dum in nativitatis dominicae sollemnitate in ecclesia S. Mariae cognomento Majoris praedictus papa missarum solemnia ageret captus est a quibusdam Romanis *infidelibus*, sed vi ac constantia omnium Romanorum eodem die receptus est.

Petrus Cassin. III, 49. Hoc etiam anno Robertus dux cum 15 millibus armatorum *transito mari* Romaniam debellaturus ingreditur.

Neque difficile est ad intelligendum ex eodem communi fonte Annalium Cavensium minorum hanc partem effluxisse. Atque id quidem adjiciendum est Annalibus Cavensibus majoribus pauca, quae ad ipsum illud monasterium pertineant, propria esse inserta (a. 1050, 1058, 1079).

Jam si ad tertiam Anonymi nostri partem transimus eam quoque ex veterioribus annalibus Cassinensibus esse excerptam ipsa codicum inter se discrepantia probat:

Codd. 199 et. 47.	Cod. 62.
1090. Castrum Frattae a Normannis furatum et a nostris duodecimo die magna dei virtute receptum est. Capuani rebellaverunt.	1090. Castrum Frattae a Normannis, agentibus Rainerio Ridellus et Riccardo Despiniu furatum et a nostris agente comite Atenolfo duodecimo die magna dei virtute receptum est. Capuani rebellaverunt. Hoc anno fuit tanta siccitas, quod non pluit usque ad festum S. Nicolai.

Ac Cavenses annales majores Weinreichius annis solum 1034 — 1089 Anonymo similes esse putat. Sed etiam proximis annis (— c. 1105) annalibus veteribus Cassinensibus, quamvis negligentius usi sunt, ut:

Anonym. Cassin.	Annal. Cavenses.
1089. Ecclesia S. Martini dedicata est ..... *Obiit Jordanus princeps.* 1090. Castrum Frattae .... *Capuani revellaverunt.*	1091. Jordanus princeps obiit et Capuani revellaverunt.

Contra posteriori Annalium Cavensium parti, quae usque ad saeculi 14 initium producta est, nulla jam cum Cassinensibus annalibus intercedit ratio, immo vero ab ipsis monachis Cavensibus videtur composita esse.

Ex eis, quae diximus, sequitur veteres quondam annales in Montis Cassini monasterio scriptos extitisse, quos totos excerptos nobis Anonymus Cassinensis, aliquas partes Annales Cassinates et Annales Cavenses servaverint. Qui quidem annales quam habuerint vim atque celebritatem inde apparet, quod omnes fere, qui tunc majoribus historiis scribendis vacabant, eis usi sunt. Ac primum quidem qui chronicon clarissimum Cassinense confecerunt, *Leo Ostiensis* et *Petrus Diaconus*, ante oculos eos habuerunt. Id quod quia jam Wattenbachius, qui nuperrime chronicon eorum edidit,[37]) et animadvertit et probavit, nobis non amplius est exponendum. Sed etiam tria hanc ipsam rem spectantia afferenda mihi esse videntur. Primum enim virum illum doctissimum non plane sibi constare arguerim. Quamquam enim in prooemio rectissime dixit[38]) Leonem et Petrum non ipso Anonymi Cassinensis libro sed annalibus Cassinensibus, „quos Anonymus descripserit", usos esse, tamen postea alios locos „ex Anonymo" sumptos esse contendit,[39]) alios ex fonte illo Cassinensi oriundos esse[39a]) omnino non animadvertit. Secundum quaerendum est, qui factum sit, ut Leo tantum veteribus annalibus Cassinensibus inde ab anno 1000 incipientibus usus sit, neque eorum, quae de rebus antea gestis in nostris Annalibus Cassinatibus scripta leguntur, quidquam libro suo inseruerit. Id quod quum ita esse ceteroquin manifestum sit, unus tamen locus in controversiam vocatur. Nam Wattenbachius in scribendo libri II. capitulo 9 Leonem Annales Cassinates quae de anno 969 referunt ante oculos

---

[37]) Mon. Germ. hist. SS. VII. p. 551.

[38]) Ibidem p. 560. (n. 82). et p. 573.

[39]) Sic. p. 668. (n. 45. 46). 670. (n. 54). 729. (n. 52).

[39a]) Sic. a. 1010. 1014.

habuisse contendit. Sed errasse virum doctum facillime comparatis inter se utriusque autoris verbis cognosces:

Leo II. 39.	Annal. Cass. a. 969.
Leo II. 39. Sequenti autem anno defuncto primo Ottone Otto secundus imperator, filius ejus, cognomento rufus, venit Capuam et abiit Tarentum ac Metapontum et deinde Calabriam.	Annal. Cass. a. 969. Hoc anno sol obscuratus est et magnus Otto Calabria ingressus est et accepit conjugem filio suo Ottoni neptem Johanni Constantinopolitani imperatoris, qui cognominatus est Cimiski.

Nam ut omittam alia parum similia, minime credendum est, si Annales Cass. ante oculos habiturus fuisset, Leonem adeo errare potuisse, nt Ottonem II. eo anno in Calabriam profectum esse diceret. Ergo Leo non usus est hac priore Annalium Cassinatium parte seu potius, ut accurate dicamus, eis veteribus annalibus Cassinensibus, unde haec excerpta videtur. Quum enim posteriorem eorum partem non esse nisi ex aliis annalibus exscriptam demonstraverimus hujus quoque eandem esse rationem facillime conjeceris. Sed valde mira haec res est. Neque enim ignorasse Leonem, qui ipse erat bibliothecarius monasterii, vetustissimos illos annales Cassinenses credibile est, neque, si nosset, praetermisisse. Nam et ipse diligentissime opus suum composuit et ex annalibus ejusmodi multum ei percipiendum erat utilitatis. Sicuti igitur in posteriore chronici sui parte in temporibus ordinandis plane annalibus Cassinensibus nititur, ita etiam hic idem facere plurimum ejus interesse debebat. Sed non eis usus est. Quum igitur annales eos diligentius examinarem aliud repperi quod non minus mireris. Scriptum est in eis:

926. *Hoc anno defunctus est domnus Radechis abbas.*

At abbas ejus nominis neque tunc neque omnino primis medii aevi saeculis in Monte Cassino extitit, immo vero constat ex vetere catalogo abbatum, quem et apud Leonem et in chronico Vulturnensi descriptum invenimus, inter annos 914 et 934 Johannem monasterio illi praefuisse. Quibus duabus causis ductus facere non possum quin suspicer An-

nalium Cassinatium priori huic parti parum habendum esse fidei, minime certe, quamvis id ipsum prae se ferre videatur, ex vetustis annalibus esse haustam.

Tertium denique premendum est ab Anonymo Cassinensi veteres illos annales non servari totos atque integros. Quamquam enim magna eorum, quae ab hoc et in Annalibus Cavensibus referuntur, similitudo posteriorem illorum inde ab anno 1034 partem fere ejusdem fuisse speciei, qualem utrique illi reddiderint, demonstrat, priorem tamen multo uberius scriptam esse patet comparatis exempli gratia inter se quae et Annalium Cassinatium autor et Anonymus de anno 1010 inde hauserunt:

Annal. Cassin. 1010. Hoc anno domnus abbas Johannes defunctus est, cui quorundam malignorum instinctu Beneventanus quidam diaconus canonicus Johannes nomine, suus nepos, indigne successit etc.	Anonym. Cass. 1010. Obiit Joannes abbas Beneventi.

Nam vere Annalium Cassinatium autorem ex veteribus annalibus Cassinensibus illa duxisse et eis probatur, quae supra de hac priore annalium ejus parte disputavimus, et firmatur, si quae Leo (II. 28. 29.) de eadem re refert, conferuntur. Haec enim eis, quae in Annalibus Cassinatibus scripta sunt, tam similia sunt, ut ex eodem fonte utrumque autorem hausisse pateat. Anonymus autem illic non recepit nisi prima verba; cetera omnia praetermisit. Inde concludendum esse arbitror, id quod et ad judicandum quae fides omnino Leoni habenda sit et ad ipsas temporum eorum res cognoscendas gravissimum est, non ea solum, quae Leo cum Anonymo Cassinensi communia habet, ex veteribus illis annalibus hausta esse, sed fieri posse ut etiam plures chronici ejus partes inde duxerint originem. Atque huic quidem quaestioni altera occurrit, scilicet quae fides eis habenda sit, quae Leo in codice 1 autographo scripta postea omiserit, alia Amatum secutus scribens,[40]) eo praecipue loco (II, 37)

[40]) Cf. Wattenbachii prooemium.

ubi de re maximi momenti, de primo Normannorum in Italiam adventu, agitur. Quum enim quae ex Amato hausit parvi sint facienda — nam ipse Amatus res ante suam memoriam gestas minus accurate scripsit — plurimum intelligere nostra interest, utrum aliunde hausta, quae in posterioribus chronici sui exemplaribus Leo alia omisit, alia cum relatis ab Amato conjunxit, majore sint fide digna necne. Atque ego quidem, etiamsi non omnia tamen aliqua eorum aliaque aliis locis e Cassinensibus illis annalibus Leonem didicisse conjecerim. Id quod quamquam certo probare nequeo, sunt tamen quibus commendari videatur. Primum enim omnino Leonem scimus pleraque, quae ipsos illos annales secutus in primo exemplari scripserat, postea delevisse. Dein tota eorum, quae Leo hoc loco tradit, ratio, ut copiose Meli res referat, qui duces Normannorum fuerint, quibus locis cum Graecis pugnaverint narret, probare videtur non fama ac rumoribus sed ipsis litterarum testimoniis eum nixum esse.

Annalibus veteribus Cassinensibus etiam Johannes monachus, qui ipso saeculi duodecimi initio *Chronicon monasterii S. Vincentii Vulturnensis* composuit,[41]) usus est atque ita quidem, ut quae pauca inde ab anno 1000 praeter res ad ipsum illud monasterium pertinentes et praeter abbatum Cassinensium nomina refert, inde sint hausta. Ac Wattenbachius[42]) quidem Leonis chronico usum eum esse affirmat. Id quod maxime dubium mihi videtur. Nam in posteriore parte nullam illius habuisse eum rationem manifestum est, in priore autem, quae in rebus ante annum 1000 gestis versatur, non reperire potui nisi duos locos, qui et re et verbis similia Leoni contineant. (Chr. Vult. p. 359 seqq. = Leo I, 8 et 12; Chr. Vult. p. 405 = Leo I, 44.) Neque vero ex ipso Leone sed ex alio fonte, unde etiam ille duxerit, haustos eos esse putaverim, primum quia sunt unici,

[41]) Anno 1018 Paschali papae illud tribuit. Editum est a Muratorio in Scriptorum rer. Ital. tomo I, 2. p. 325.

[42]) Mon. Germ. hist. SS. VII. p. 561.

deinde quia ipse autor profitetur (p. 371): „Scire autem volumus omnes, qui hujus libri lectores accesserint, nihil me scribere nisi quod aut *vetus scriptura* me docuit, aut a senioribus ipsa canitie aut gravitate venerandis fida relatione didici, aut ego ipse nostris temporibus meis oculis aspicere potui.“ Leonis autem chronicon, quod paucis annis ante compositum est, inter veteres scripturas illum numerasse parum habet verisimilitudinis.

Item *Chronici Fossae novae*[43]) pars ex annalibus Cassinensibus effluxit, atque ita quidem, ut autor ejus simili exemplari cum Annalium Cavensium autore usus esset, scilicet quod usque ad annum c. 1100 pertineret. Item qui *Chronicon Casauriense*[44]) saeculo XIII, Johannes Berardus, composuit, prima illa annalium Cassinensium parte usus est. Denique *Romualdum Salernitanum* haud eos neglexisse infra, ubi de eo disputabimus, exponemus.

Restat ut quomodo et in veteribus illis annalibus Cassinensibus et ab eis, qui inde hauserunt, tempora sint ordinata inquiramus. Atque hic quidem a Leone incipiamus, qui in chronologia fere omnino ex annalibus illis pendet. Cujus de ordinandorum annorum ratione qui solus aliquid certi statuit, Meo,[45]) iterum atque iterum calculo Pisano usum eum esse, id est annum a Kalendis Martiis nostri praecedentis anni incepisse contendit. Sed vir doctus errore lapsus est. Id quod ut probem aliquot afferam locos, quibus talium rerum tempora a Leone definiantur, quae quando evenerint aliunde certe constet.

Quae igitur Leo refert:	ea acciderunt:
1014. Henricum imperatorem Romae coronatum esse. (II, 31.)	1014. 14. Febr. (Boehmer. reg. p. 57.)
1017. Normannos Apuliam invasisse. (II, 37.)	1017. (Barens. ann.)

---

43) Muratori. Script. rer. Ital. VII. p. 853.

44) Ibidem I. 1. inde a p. 836.

45) Sic. VII. p. 80. 101. 186. 206.

1022. Henricum imperatorem Italiam venisse. (II, 39.)	1022. (Boehmer. p. 63.)
1025. Henricum imp. obiisse. (II, 56.)	1024. 13. Julii. (Boehmer. p. 64.)
1038. Conradum imp. Capuam venisse. (II, 63.)	1038. Maio. (Boehmer. p. 72.)
1041. Normannos Melfim occupasse. (II, 66.)	1041. (Barens. ann.)
1047. Henricum imp. Capuam venisse. (II, 78.)	1047. Febr. (Boehmer. p. 78.)

Ergo excepto uno loco (1025 = 1024) Leo hic semper eodem modo, quo nos, tempora ordinavit. Atque hoc uno loco errasse eum seu potius autorem, quem secutus est, inde facile explicari potest, quod de re extra Italiae fines gesta agitur. Ac ne a Kalendis Martiis quidem annorum principium eum fecisse anni 1014 et 1047 docent. Ergo vulgari nostra ratione Leo usus est. Atqui eadem etiam Annales Cavenses annos ordinant. Ergo, quia uterque autor eosdem veteres annales Cassinenses secutus tempora definivit, illos quoque eundem calculum adhibuisse concludendum est.

Eandem rationem quum prior Anonymi Cassinensis annalium pars secuta sit, inde ab anno 1033 quae certo anno gesta sunt praecedenti anno semper tribuunt. Id quod quum jam dudum viri docti animadverterint, tamen quomodo sit explicandum inter se non consentiunt. Nam et Peregrinus et Wattenbachius librariorum negligentia mendum illud commissum esse dicunt, contra Meo[46]) Muratorii suspicionem secutus non esse mendum illud, sed ipsum autorem diverso calculo, eoque Pisano, usum esse affirmat. Equidem hanc posteriorem sententiam minime probaverim. Quia enim demonstravimus Anonymum nil aliud fecisse, nisi ut veteres illos annales exscriberet, parum verisimile est ipsum eum quasi novarum rerum studiosum subito suo arbitrio annos illorum mutasse.

Denique de Petri Diaconi, quem, quum Leonis chronicon

46) VII. p. 46. 111.

continuaret et ipsum annalibus veteribus Cassinensibus usum esse jam supra significavimus, dicendum est chronologiae ratione. Atque illum quidem Wattenbachius[47]) ait eodem errore lapsum esse quo Anonymi Cassinensis annalium librarii, scilicet ut anni praecedentis numerum cum rebus sequenti anno gestis conjungeret. Quam sententiam Weinreichius[48]) secutus concludendum inde esse existimat, errorem illum jam in veteres illos annales irrepsisse. Sed dubito num ipsa illa Wattenbachii sententia recta sit. Nam Petrus minime sibi constat. Quum enim aliis locis vere errorem illum committere videatur, quem in Anonymi annalibus notavimus, ut:

Petr.:	Anonym.:
1096.	1096 = 1097.
1099 (IV, 20.)	1099 = 1100.

aliis locis ab eo discrepans recte annos definit, ut:

1081 (III, 49.)	1080 = 1081.
1085 (III, 65.)	1084 = 1085.

Quodsi memineris chronicon illud a Petro nimis negligenter esse compositum,[49]) ex libidine eum nulla habita autorum, quos secutus est, ratione annos quoque definiisse tibi persuadebis.

CAPUT III. DE ROMUALDO SALERNITANO ET CHRONICO AMALFITANO.

Jam ad ultimam hujus dissertationis partem pervenimus. Quum enim adhuc a singulis, quotquot extant, annalibus profecti, comparatis aliis autoribus, qui affinitate quadam attingere eos videbantur, qualis et eorum et pristinorum annalium, quibus usi esse putandi erant, ratio sit quaesiverimus, absolutis omnibus illis id nobis restat, ut in aliorum, qui res

[47]) Mon. Germ. hist. SS. VII. p. 573. n. 43.

[48]) De conditione It. inf. p. 85.

[49]) Cf. Wattenbachii prooemium et quae idem in libro: „Deutschlands Gechichtsquellen im Mittelalter." p. 332 scripsit.

gestas scripserunt, libris qui annales quasi lateant indagemus. Ac quum in reliquis libris nulla ejusmodi vestigia appareant, de solis duobus disputandum est: de Romualdi Salernitani et de Amalfitano chronico.

Ac *Romualdi* quidem jam supra, ubi de Lupo et de Cassinensibus annalibus disputavimus,[50]) fecimus mentionem. Nunc quae sit totius operis ejus ratio exponendum est. Chronicon igitur, quod Romualdus archiepiscopus, qui inter annos 1153—1181 Salernitanae praeerat ecclesiae, de rebus inde ab initio mundi usque ad suam aetatem (1178) gestis composuit[51]) in tres partes inter se diversas discernendum est. Prima totius orbis res usque ad 10 saeculi exitum continet, secunda breviter res in inferiore Italia 10, 11, 12 ineunte saeculo gestas memorat, tertia denique copiose quarum ipse autor et aequalis erat et particeps exponit. Atque id quidem patet accuratius nobis secundam solam partem esse tractandam. Illic enim tantum fieri potest, ut annalibus in Italia inferiore scriptis autor usus sit. Usum eum autem esse ipsa eorum, quae scripsit, species clarissime ostendit. Ergo qui et quales illi fuerint quaerendum est. Et hic quoque id quod volumus non consequemur nisi diversas partes discernendo. Primum igitur ea examinemus, quae usque ad annum 994 Romualdus de rebus Italiae inferioris dispersa initio inter res universalem historiam spectantes, mox continua inter se scripsit. Quae quidem ex quatuor diversis inter se fontibus hausta esse existimo. Primum enim si Chronica S. Benedicti et Annales Beneventanos in auxilium vocaveris, nonnullos Romualdi locos (839. 840. 921), qui in Beneventanis rebus versantur, valde eis similes esse atque propinquos invenies; sic:

Rom. 839. Corpus b. Bartholomaei apostoli de Lypari insula	Ann. Ben. II. 838. Corpus sancti Bartholomaei translatum

[50]) Cf. p. 41. et p. 58.

[51]) Editum est in Muratorii Script. rer. It. tomo VII. p. 1. novam editionem in proximo Monumentorum Germ. tomo expectamus.

in Beneventum translatum est, principante tunc in eadem civitate Sicardo quinto jam Beneventanorum principe, filio Siconis principis.

Rom. [840.] Tunc quoque divisus est principatus Beneventi atque Salerni, et Beneventi quidem princeps Radelchis, Salerni vero Sichenolfus factus est princeps.

de insula Lipari in Salernum 5 Kal. Magi, deinde in Beneventum. 8 Kal. Novembris.

[832.] Obiit Sico et Sicardus filius ejus constituitur. a. 6. m 10.

Chr. S. Bened. p. 201. Radelchis sedit annis 13. Hujus temporibus divisum est principatum Beneventanum inter Siconolfum et ipsum.

Quos si accuratius inter se comparaveris et quae supra de Chronicorum S. Benedicti et Annalium Beneventanorum ratione disputavimus respexeris ex eodem unde illa fonte, ex vetere chronico Beneventano, Romualdum illa hausisse cognosces.

Secundum pauci sunt loci (894. 933. 954. 981), quos ex fonte Salernitano ductos esse putaverim. Principum illic Salernitanorum nomina enumerantur, translatio S. Matthaei, urbs Salernitana ab Ottone I. oppugnata referuntur, rectissime, ut e brevi Salernitano chronico, Beneventano illi simili, hausta esse verisimile sit.

Tertium pluribus locis (856, 902, 926, 939, 987, 998) Romualdus Sarracenorum, Ungarorum aliorumque in Italiam inferiorem, in Apuliam praecipue, incursiones crudeliterque gesta memorat. Ea quoque ex vetere libro eum exscripsisse apparet, si quae de anno 902 refert cum eis, quae de eodem in Chronico Vulturnensi scripta sunt, comparantur:

Romuald.:

902. Urbs Tauromenis a Saracenis capta est. Eodem anno in nocte visi sunt igniculi in modum stellarum per aëra discurrentes: qua nocte rex Africae residens super Cosentiam Calabriae civitatem dei judicio mortuus est.

Chr. Vult. p. 415:

Hoc tempore noctis medio visi sunt igniculi in modum stellarum huc illuc per aëra discurrentes. Tunc civitas Rhegium a filio regis Afor capta est. Urbs Taurimenis capta est a Saracenis. Rex vero Africes super Cosentiam residens nocte quadam dei judicio mortuus est.

Haec non ex ipso Chronico Vulturnensi Romualdum, sed ex communi cum illo fonte hausisse inde concludendum est, quod quae simillima aliis locis nominatis narrat, in chronico illo desunt.[52]) Atqui Chronicon Vulturnense a Johanne monacho septuaginta fere annis ante Romualdum conscriptum est.[53]) Ergo fons quo ille usus est minime ad 11 saeculum pertinet. Sed et hic et alii illi loci ipsam veteriorum annalium speciem praebent; accedit, quod quae cum aliis autoribus conferre licet rectissime dicta apparent;[54]) ergo antiquis annalibus fide dignis Romualdum usum esse existimaverim. Et quum urbis Bovini praecipue fiat mentio (967. 969; etiam in posteriore parte eis, quae aliunde hausta esse constat, insertum est:

1045. „Drogo Normannorum comes cepit civitatem Bibinum eamque depopulatus est, sequenti vero anno postquam eadem civitas rehedificata est, flagravit incendio."
non incredibile sit hac ex urbe aut ex vicinis partibus illos esse oriundos.

Quartum denique duobus locis Romualdus res in Capuanis partibus gestas memorat. Quae illic scripsit eadem fere in Leonis Chronico Cassinensi reperiuntur, atque ita quidem, ut etiam hic uterque autor ex eodem fonte hausisse videatur:

Leo II, 9. Huius abbatis nono decimo anno Johannes papa de Roma exiliatus venit Capuam et rogatus a praefato principe Pandulfo tunc primum in eadem civitate archiepiscopatum constituit, Johanne eiusdem principis fratre inibi consecrato.	Rom. Hic etiam papa Joannes nobilitavit Capuam archiepiscopatu, in qua civitate tunc principabatur Pandulfus cognomento Caputferreus.

52) Etiam quae in Chr. Vult. p. 418 scripta sunt: „His temporibus visae sunt sagittae volitare per aëra et in terram cadere. Tunc Ungri in Apuliam venerunt", quibus nil simile apud Romualdum respondet, eundem ducere originem videntur.

53) Cf. supra p. 57.

54) Cf. quae de annis 902 et 926 Meo in Analium suorum tomo V. p. 105 et p. 208 disputavit. Quae de anno 949 Romualdus refert cum Lupo consentiunt.

Leo II, 11. **Ante hoc ferme biennium ingens terraemotus factus est tam in Capua quam in Benevento, ita ut in Capua plurimas domos everteret et campanas eiusdem civitatis per se sonari faceret. In Benevento autem Viperam deiecit et subvertit quindecim turres, in quibus videlicet centum quinquaginta homines mortui sunt. De Ariano et Frecento magnam partem destruxit. Compsanam civitatem prope mediam evertit eiusque episcopum cum aliis multis occidit. Ronsam vero cum universis fere in ea manentibus summersit.**

Romuald. 999. **Et non post multos dies fuit terraemotus magnus, qui plures evertit domos in Benevento et in Capua multosque homines occidit et in civitate Ariano plures ecclesias subvertit. Civitas quoque Frequentus pene media cecidit. Civitatem vero Consanam prope mediam cum episcopo subvertit multosque homines oppressit.**

Ac priorem quidem locum spectans jam Wattenbachius antiquum librum Leonem ante oculos habuisse conjecit. Quam sententiam ad utriusque autoris utrumque locum referendam esse puto.

Jam ea Romualdi chronici pars, qua res inter annos 997 et 1085 gestae memorantur, quibus ex fontibus hausta sit quaerendum est. Tria eorum genera discernenda esse puto. Primum enim quae enumerat Romualdus imperatorum Germanicorum et Byzantinorum, regum Franciae, paparum nomina ex catalogis ea continentibus exscripsit.

2) Aliquot locis (1001, 1002, 1012, 1022, 1025, 1034, 1037, 1039, 1042, 1047, 1062, 1086) Cassinensibus veteribus annalibus usum eum esse comparatis Anonymo Cassinensi, quique alii inde hauserunt, reperies.

3) Quae longe plurima ac gravissima de rebus a Normannis infra id tempus in Italia gestis memorat ex fonte majore hausta sunt, quo eodem Chronici Amalfitani autor usus est. Atque aliqua quidem affinitate cum Romualdo illum conjunctum esse jam Meo[55]) animadvertit, quamquam minus

[55]) **Annali IV. p. IV. ipso Romualdi chronico Amalfitanum usum esse opinatur.**

accurate eam definivit; quae vera inter eos intercederet ratio Weinreichius[56]) exposuit. Comparati inter se libri eorum tantam exhibent similitudinem, ut paucis rebus mutatis vel omissis ipsum exemplar utrumque quasi depinxisse pateat neque difficile sit fere integrum illud restituere. Quale igitur erat illud, ac primum quidem quousque pertinebat? Nam initium ab anno 997 captum esse Romualdus et Amalfitanum chronicon, quorum inde incipit similitudo, docent; sed in chronico Amalfitano, quia medium mutilum est, non reperimus nisi partem ejus, et Romualdus quoque quousque illud secutus sit incertum esse Weinreichius affirmat. Sed parum accurate vir doctus dixit. Nam Romualdum tantum usque ad anni 1085 finem eo fonte usum esse certissime constat. Quae enim posteris annis refert ex alio libro eum, unde etiam Lupus, hausisse supra demonstravimus; quae autem annis 1081—1085 memorat, ea ex hoc ipso nostro fonte effluxisse inde liquet, quod plane ejusdem generis sunt cum eis, quae praecedunt, quodque illic ipsius belli in Graecia facti narratio, cujus initium etiam in Chronico Amalfitano servatur, continuata est. Ergo liber iste anonymus in rebus annis 997—1085 gestis versatus est. Si enim ultra pertinebat, cur Romualdus plane eo neglecto ad alium librum subito sese convertit? At qualis erat, quantum habebat fidei? Id quod explorare nemo adhuc conatus est. Nam quae verba Weinreichius facit: „complura eum praebere, quae merito magni aestimanda nonnisi ei propria sint, multa alia, quae partim a scriptoribus eoaevis affirmentur, partim ex eis corrigenda sint“, quamquam recta sunt, nil valent.

Ac quod fuerit libri nostri seu potius libelli argumentum jam Chronici Amalfitani autor indicat. Qui exscripturus eum: „Hic, inquit, admonet locus ut aliquid ex gestis[57]) ducis Ro-

[56]) De conditione It. inf. p. 78.

[57]) Ita pro „gentibus“ quod verbum codices multis erroribus scatentes habent, legendum esse conjecerim. Nam ad stemma Roberti jam verba illa de „prosapia generis sui“ pertinent.

berti Guiscardi et prosapia generis sui interponatur necnon quando Normanni primum in Apuliam venerunt.“ Profecto Roberti Guiscardi res summa atque caput sunt, pauca de rebus antea a Normannis in Italia gestis deque stemmate illius praemittuntur. Atque annalium quidem speciem libellus noster exhibet. Neque enim conjunctae inter se et connexae res sunt, sed quae singulis annis acciderunt abrupte enumerantur. Tamen minime tales hos esse annales puto quales ei sunt, de quibus adhuc disputavimus. Illi enim aut ab hominibus scripti erant ipsis quas referunt rebus aequalibus, aut si postea compositi erant antiquioribus annalibus nitebantur. Hic autem libellus neque paullatim ab aequalibus conscriptus neque ex veteribus annalibus haustus est, immo vero unus ejus autor quae memoria tenebat, alia sua aetate gesta, alia antea, litteris mandavit. Quam sententiam ut probem ipsa eorum, quae illic narrata sunt, ratio mihi est exponenda.

Ac primum quidem res a Normannis in Italia gestae, antequam Robertus Guiscardus eis praefuerit, referuntur brevissime atque ita quidem, ut non nisi extrema quasi lineamenta recte descripta, singula fere omnia sint deformata atque corrupta. Nam Melo duce Normannos primum Apuliam invasisse, a Graecorum duce Bojoanne (Bugiano) Trojae urbis conditore esse victos, postea alias eorum catervas in partes illas irrupisse, Drogonem prae omnibus excelluisse, ea quidem rectissima sunt; sed singula quam falso narrata sint aliquot exempla doceant: Scribit autor noster anno 997 (seu 999[58]).) Mel catapanum Normannos primum in Apuliam duxisse, proelium cum Graecis ad Basantellum commisisse, Asculum aliaque oppida cepisse, dein anno 1011 eundem Mel cum Normannis iterum Apuliam expugnasse.

Duo bella Melum contra Graecos fecisse rectum est. Sed non erat Mel ille catapanus (id est provinciae praefectus) immo vero civis Barensis (cf. Leo Casin. II. 37). Dein prio-

[58]) Alterum Romualdus, alterum Chron. Amalfit. edit.

ris illius belli non Normanni fuere socii, sed cum Apuliae indigenis Melus contra Graecos rebellavit (Leo Cas. II. 37, Barens. ann. 1009). Porro bella illa non annis 997 et 1011, sed 1009 (Bar. ann.) et 1017 (Bar. et Cassin. ann.) inceperunt. Denique proelium non ad Basantellum, Calabriae vicinam urbem, quousque rebellio illa minime pertinuisse videtur, sed ad Bitontum haud procul a Bario commissa est. (Bar. ann.) Dein scribit ille: anno 1039 mense Julii (seu Februarii[58]) Normannos in Apuliam intrasse, ter uno die prope Aufidum amnem pugna cum Graecis facta victores extitisse, Drogonem eorum comitem cum quatuor fratribus huic pugnae interfuisse.

At: mense Martio anni 1041 Normanni in Apuliam irruperunt, ter, non uno die sed uno anno (ad Oliventum, ad Aufidum, ad Montem Pelusum) cum Graecis dimicaverunt (Bar. ann.), nondum comes eis praefuit, (Amat. II 28, Leo Cass. II 66 cod. 1) duo tantum Tancredi filii Guilelmus et Drogo, bello illi interfuerunt. (Gaufred. Malat. I. 9. Leo Cass. l. c. — Umfredus, qui una cum illis Aversam venerat (Amat. II. 8.) expeditionis hujus non videter particeps fuisse, reliqui fratres postea demum in Apuliam venerunt. Amat. II. 45, III. 40.) Quae quam negligentur scripta sint patet. Contra celeberrima Leonis papae IX. contra Normannos expeditio, cujus memoriam etiam apud posteros vigere oportebat, recte narrata est, quamquam etiam hic pro Julio Junius mensis corrigendus est.

Hanc igitur priorem partem neque ab aequali scriptam, neque exfonti bus antiquis haustam esse, quae attuli satis demonstrare puto. Jam ad alteram venimus Roberti Guiscardi res continentem. Atque hujus quidem ea est ratio, ut quum initium et breviter et parum accurate scriptum sit, paullatim magis magisque et copia orationis et fides increscat. Id quod exempla aliquot illustrent.

Primum quidem sententia nostra probatur quo modo autor tempora ordinavit.

Quae enim tribuit annis:	ea accidisse constat:
1060.	alia 1059, alia 1060, alia 1061.
1062.	1061.
1070.	1071.
1073.	1072.

sed quae sequuntur recte ordinata sunt:

1073.	1073.
1075.	1075.
1077. etc.	1077.

Dein, quod ad ipsas res attinet, stemma Tancredidarum ita autor noster depingit:

Tancredus.

1. Sarnus (= Serlo). 2. Goffridus. 3. Drogo. 4. Guilelmus Ferrebrachia. 5. Humfridus. 6. Malgerius. 7. Robertus Guiscardus. 8. Albertus. 9. Tancredus. 10. Guilelmus. 11. Frumentinus. 12. Rogerius.

Nomina recta sunt (nam Frumentinum ex Humberto librarios deformasse conjecerim), sed male sunt ordinata. Seriem enim Tancredi filiorum ex Gaufredo Malaterra (I, 4) cui, quia Rogerii erat familiaris, summa fides habenda est, hanc fuisse discimus:

1. Guilelmus Ferrebr. 2. Drogo. 3. Humfridus. 4. Goffridus. 5. Serlo. 6. Robertus Guiscardus. 7. Malgerius. 8. Guilelmus. 9. Alveredus. 10. Humbertus. 11. Tancredus. 12. Rogerius.

Denique duos locos, quorum alter ad priores, ad posteriores alter Roberti res pertinet, comparemus:

Anno 1061 autor noster refert Robertum a Trojanis civibus vocatum urbem eorum in potestatem suam redegisse, dein in Calabriam profectum, capta Cosentia, ducem Normannorum factum esse. — At non ab ipsis Trojanis Robertum vocatum esse, immo vero vi atque armis eos oppugnasse Amatus (IV, 3. V, 6) docet, non Cosentia, sed Rhegio urbe capta ducem eum esse appellatum omnes fere autores uno consensu narrant. (Amat. IV, 2. Gaufred Malat. I, 36. Guil. Apul. II, v. 411). Denique Rhegium anno 1060, Trojam

postea anno 1061 captam esse eidem illi testantur. Contra si quae anno 1080 de baronum Normannorum seditione compressa, annis sequentibus de expeditionibus a Roberto in Graeciam, dein Romam factis narrantur cum aliorum autorum fide dignorum libris contuleris, plurima et copiose et recte scripta reperies, sed ita, ut hic quoque in ipsis singulis rebus describendis nonnunquam erratum sit.

Jam quae sit libelli nostri vis atque natura patet. Chronicon est scriptum ab eo, qui quum res ante Robertum Guiscardum gestas prioresque illius non compertas habeat nisi fama atque auditione, posterioribus ejus fuerit aequalis, sed scribendi initium aliquo demum tempore post, duodecimo ineunte saeculo, fecerit. Neque enim solum Roberti Guiscardi, sed etiam Rogerii fratris ejus († 1101) et Jonathanis, Jordanis Capuae principis filii, tanquam mortuorum fit mentio. Atque ultimo quidem loco illo etiam accuratius quo tempore autor noster scripserit indicari puto. Dicit ille ibi: „Qui (Jordanus) genuit filios Riccardum, Robertum et Jonathan. Jonathas autem obiit sine liberis et habuit in uxorem sororem Rogerii comitis Siciliae.“ Inde quod inter tres fratres hujus unius memoretur mors, atque ejus quidem, qui minime excelluerit, concludendum esse videtur, quo tempore autor noster scripserit duos alios fratres superstites fuisse. Atqui Richardum anno 1106[59]), Robertum 1120[60]) vita decessisse constat. Quo anno Jonathan mortuus sit ex nullo autore discimus; id solum compertum habemus anno 1102 eum vixisse.[61]) Locus igitur noster et illum infra annos 1102 et 1106 periisse, et ipso illo tempore, id est viginti annis post Roberti Guiscardi mortem, chronicon nostrum compositum esse docet. Ac locum quoque ubi scriptum sit, etiamsi non definiri, tamen adumbrari posse arbitror. Nam ex occidentali Italiae inferioris regione, ex partibus Salernitanis,

59) Meo Annali IX. p. 182.

60) Ibidem p. 251.

61) Anonym. Cassin. a. 1101. cf. Petr. Cassin. IV. 14.

oriundum esse jam eo, quod duo autores illic degentes, Romualdus et qui Chronicon Amalfitanum scripsit, illo usi sint probari videtur. Atque idem eo indicatur, quod in ipso chronico praeter Roberti etiam Capuae principum res, illis partibus vicinorum, nonnunquam idque rectissime fit mentio.

Praeter quae disseruimus, tria monenda esse videntur, unde paullo accuratius quae sit chronici nostri ratio cognoscatur. Primum enim id ejus proprium est, ut plurimarum, quas introducit, personarum qui fuerint mores atque ingenium describat. Atque hinc quoque recte nos supra de eo disputasse apparet. Quum enim quae de Guilelmo Ferrebrachia, de Drogone, Humfredo etc. dicuntur non sint nisi verba mortua, quae de Rogerio et Sichelgayta jam plus habeant perspicuitatis, quae de Roberto Guiscardo narrantur:

> „Fuit autem R. G. vir strenuus, in bello potens et fortis, corpore insignis, animo constans, moderator, civilis, providus, callidus moribus et admodum astuti et prudentis ingenii, paululum impatiens, morum correptor et diligens coercitor disciplinae militaris, dominandi supra quam aestimari licet ambitiosus."

et cum eis, quae aliunde comperta habemus, conveniunt et ejusmodi sunt, ut quasi oculis virum illum intueri tibi videaris. Ergo ipsum autorem nostrum et vidisse et nosse Robertum non dubitaverim.

Secundum in ipsa ultima chronici sui parte, praeterquam quod deficiente memoria interdum erravit, pauca Normannorum eorumque ducis studio ductus autor noster minus accurate scripsisse videtur. Sic recte anno 1078 Robertum frustra Beneventum obsedisse refert, sed qua causa ille motus sit, ut exercitum inde deducat, falso dicit. Neque enim Gregorii papae praecepto obtemperasse illum, immo vero vi et armis a Jordano Capuae principe esse pulsum aliorum autorum inter se consensus probat. (Petr. Cassin. III, 45. Lupus 1078). Deinde rectissime noster anno 1083 cum Jordano illo Robertum pugnasse memorat; at non ipsam Capuam eum cepisse, sed paucis levibus proeliis factis pacem cum illo iniisse Gau-

fredus Malat. (III, 35) et Guilelmus Apul. (V. v. 120) docent. Ac clarissime in Roberti adversarios iram suam illic noster ostendit, ubi quomodo Alexius Comnenus imperium Constantinopolitanum adeptus sit narrat. Quamquam enim etiam hic plurima rectissime dicit, tamen alia sunt ficta aut depravata. Sic sua sponte Alexium contra Nicephorum imperatorem seditionem movisse narrat, at aulicorum Borili et Germani insidiis coactum eum esse, Anna Comnena, quae copiosissime et magna cum fide patris sui res scripsit, refert (II, 1—2). Ille Alexium ut stipendia militibus ab imperatore impetraret Constantinopolim venisse tradit, haec (II, 3) ab ipso Nicephoro Cyzico urbe a Turcis expugnata vocatum eum esse, ut de bello contra illos gerendo consultaretur. Ille in pugna ad Dyrrhachium facta Alexii fraude socium ejus imperii, Michaelem Michaelis Ducae imperatoris filium, obiisse memorat, ab Anna (IV, 6) discimus non hunc, sed Constantinum, Constantini Ducae, qui olim imperator fuerat, filium illic periisse. Ille Alexium quoscunque reperire potuisset ex imperatorum genere oriundos lumine privasse arguit; alii autores nil ea ds re scribunt, Nicephorum certe ab Anna docemur (II, 2) omnino non liberos suscepisse.

Denique quae libere autor noster de papis Romanis dixit monenda sunt. Nam Leonem IX contra fas arma Normannis intulisse affirmat, („Non enim, inquit,[62]) dominus discipulis neque idem apostoli suis successoribus praeceperunt, ut curis saecularibus velut principes saeculi materiali gladio dei populum tuerentur, sed verbo doctrine monerent et pie conversationis exemplo instruerent“) Gregorium VII, etiamsi non accusat, tamen dicit studuisse: „ut pariter rex et pontifex ipse et regni dominaretur et ecclesiam procuraret.“ Quae quidem non solum Normannorum studio, sed omnino ingenuae ac sanae mentis instinctu dixisse eum existimaverim.

Haec sunt, quae de chronico illo, cui plurima Romualdus

[62]) Ita Romualdus verba ejus servavit, in Chronico Amalf. plane corrupta.

debet, dicenda mihi esse videbantur. Jamque de ipso Romualdo dicendi finis faciendus est. Quae enim inde ab anno 1086 usque ad saeculi 12 initium refert unde hausisset jam supra exposuimus; quae sequuntur non jam ab aliis mutuatus est sed ipse (ut qui earum rerum esset aequalis et particeps) narravit.

Pauca de *Chronico Amalfitano* addenda sunt. Duo ejus extant exemplaria, quorum alterum[63]) historiam conditae urbis Amalfitanae seriemque principum, qui usque ad Rogerium Apuliae et Siciliae ducem, postea regem, (1127—1154) ei praefuerint continet, alterum,[64]) serie illa tantum usque ad Robertum Guiscardum producta, chronici illius, de quo modo disputavimus, exhibet fragmentum et praeterea pauca de archiepiscoporum Amalfitanorum inde ab anno 1174—1294 rebus adjicit. Inter quae exemplaria ea intercedere ratio videtur, ut utriusque autor eodem fonte, antiquiore chronico Amalfitano usus sit. Neque enim ex ipso priore posterius, neque hoc ex illo fluxisse inde liquet, quod ab utroque diverse tempora sint ordinata, ut

Chr. Amalf. I. (Ugh.) refert:	Chr. Amalf. II. (Murat.)
829. Petrum dominandi initium fecisse.	839.
908. Mastalum	928.
948. Mastalum et Androsam	968.
1070. Sergium . , . .	1069.
1075. Robertum Guiscardum	1074.
1086. Robertum obiisse.	1082.

Id quod ita explicandum esse arbitror, ut quum in communi fonte non reppererint nisi quot annos singuli principes regnaverint, uterque eorum quibus annis initium regnandi illi fecerint ipse computaverit.[65])

Jam id agitur qua fide dignum antiquius illud chronicon

---

[63]) Editum ab Ughellio in Italiae sacrae Tom. VII. p. 237.

[64]) Editum in Muratorii Antiqq. Italiae T. I. p. 346 (ed. in 4°.) et in „Raccolta di varie croniche“ Napoli 1792 V. p. 145.

[65]) Eandem esse Annalium Beneventanorum rationem supra (cf. p. 14. sqq.) monstravimus.

putandum sit. Atque urbis quidem Amalfitanae conditae fabulam ex Chronico Salernitano saeculo 10 scripto[66]) (cap. 87 seqq.) haustam esse jam Muratorius suspicatus est, Pertzius eumque secuti alii viri docti affirmaverunt. Necnon principum Amalfitanorum seriei priorem partem inde (c. 90) ductam esse constat; posteriorem ex vetere catalogo exscriptam esse verisimile puto. Sed autor noster fontibus suis negligenter usus est. Nam si chronicon ejus cum Salernitano illo comparatur, ex libidine eum quae illic enumerata sunt nomina recepisse alia, alia omisisse apparet, unde etiam num catalogum illum rectum atque integrum servaverit valde dubium est. Id certo constat, postquam etiam a nostrorum, quae extant, exemplarium autoribus temere ac plerumque falso[67]) anni computati ac seriei ex antiquiore illo chronico haustae inserti sunt, tot eam erroribus scatere, ut, si quis recte qui quando principes Amalfiae praefuerint definire velit, fere nulla habita chronici nostri ratione, alia ei quaerenda sint testimonia. Atque hanc quidem viam jam vir clarissimus Meo ingressus est. Quamquam etiam quod is exstruxit quasi aedificium an plane perfectum sit dubitaverim.[68])

Jam absolutis quicunque annales decimi et undecimi saeculi ex Italia inferiore oriundi aut integri extant aut ab aliis pertractati servantur finem hujus nostrae dissertationis faciamus. Restat, ut quae consecutus ea esse mihi videar paucis exponam. Tria ea sunt, Primum enim discernendo quae singuli autores aut propria haberent aut aliunde sumpsissent

[66]) Monum Germ. hist. SS. III. p. 511. Autor ejus unde illam didicerit ipse profitetur: „Me denique libet Amalfitanorum originem partim quomodo a majoribus nostris mihi relatum est, partimque a veteranis illorum libenter audivi — annectere huic historiae".

[67]) Id innumeris fere locis probavit Meo, ut IV. p. 72. 195. V. p. 162. etc. Cf. etiam quae diplomata affert Camera („Istoria della città e costiera di Amalfi." Nap. 1836) p. 101 et 113, unde nomina ducum discimus, quae in chronico desunt.

[68]) Minime tamen probaverim, quod qui nuper urbis Amalfitanae historiam scripsit, Camera, eorum, quae gravissima Meo attulit, nullam habuerit rationem.

copiam eorum, qui vet... rerum gestarum testes citandi essent minuimus. Secundum autem ipsos fontes, unde hausissent, inquirendo alios autores, quamquam posteris demum saeculis tribuendi essent, fide esse dignissimos demonstravimus. Tertium denique tota haec disputatio ostendit eos, qui adhuc annales nostros ediderunt, parum quae inter singulos illos aliaque chronica intercederet ratio curasse, neque, nisi quis in publicandis eis quicunque cognatione conjuncti sunt alios juxta alios posuisset, quae vera eorum esset vis atque dignitas a lectore posse cognosci.

BEROLINI, TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE.